



# DAVIDIS CLERICI

# ORATIONES,

# COMPUTUS ECCLESIASTICUS,

ET

# POEMATA.

*Accedunt*

STEPHANI CLERICI

# DISSERTATIONES PHILOLOGICÆ.










AMSTELÆDAMI,
Apud HENRICUM WETSTENIUM.
cIↄ Iↄc LXXXVII.

VV. CC.

DAVIDI & STEPHANO

CLERICIS.



O PATRUE ÆTERNO SUMMI PER-
CULSUS AMORE

NUMINIS O SEDES QUI COLIS Æ-
THEREAS

O PATER OBVERSANS OCULIS QUEM
GLORIA CHRISTI

ÆRUMNAS VITÆ NEC MEMINISSE
SINIT

SANCTÆ ANIMÆ VESTRI QUONDAM
MONUMENTA LABORIS

ACCIPITE EN VOBIS MUNERA
NOTA DAMUS.

JOANNES CLERICUS ST. F.
P.



# LECTORI

## S. P. D.

## JOANNES CLERICUS.

JAm elapſum eſt biennium ex quo edidimus Quæſtiones Sacras Patrui, & Parentis, quæ cùm haud ingratæ Eruditis fuerint, animum addiderunt ut quæ ejuſdem generis eorumdem virorum ſcripta apud nos deliteſcebant in publicam lucem protraheremus. Atque ut noris, LECTOR, quæ hîc contineantur, ſcito primùm occurrere tredecim Orationes à Davide quidem Clerico ſcriptas, at non omnes ab ipſo recitatas. Duas priores habuit ipſe cùm Academiæ Rectór eſſet, & pro more Majorum Encæniis Academicis dicendi partes ad eum eſſent devolutæ. Tertiam recitavit cùm Hiſtoricæ Profeſſionis munus à Curtii interpretatione auſpicaretur.

tur. Alias etiam, cùm per multò plures annos Rector Academiæ fuerit, habuit, quas & accuratè scripserat, sed eas commodatò acceptas nescio quis asservavit, amicitiâ Clericorum, non eo solùm nomine, indignissimus.

Sequentes sunt ab eodem scriptæ in gratiam & usum Adolescentium quibus Declamatiunculæ Encæniis Academicis publicè, juxta morem receptum, habendæ fuerunt. Et licèt quidem lætior earum sit stylus, multa habent nequaquam puerilia, & in quibus etiam grandiores invenire queant, aut quod discant, aut quo recreentur. Ejuscemodi erit Oratio IV. *in vituperium Homeri*, in qua maximi Poëtæ vitia quædam non inficetè notantur. Licèt enim laudes ab universa Græcia in Homerum certatim collatas præstantissimo vati eripere velle omnes, non sani sit sincipitis, attamen in ejus Poëmatibus nævos quosdam occurrere, ii demum negaverint qui nunquam, vel oscitanter, eum legerunt; nec ipsa olim Homeri laudatrix inficias ivit Græcia, ut vel ex Platone Homerici styli

imitatore conſtat. Inter Orationes ex quibus quædam etiam diſcent eruditiores, numerari meritò poteſt VII *de Latrunculorum ludo*. In ea liquidò oſtendit D. Clericus à Perſis ludi originem, & vocum quæ in eo adhibentur Etymologiam petendam, & licèt vir amœniſſimi ingenii *Joannes Franciſcus Saracenus* fuſiùs ea de re egerit in Diſſertatione Gallica, auſim dicere rem hic à noſtro ita eſſe pertractatam, ut qui hujus oratiunculam legerit, eloquentiſſimi ſcriptoris Galli diſſertationem non ſit deſideraturus. Tres quæ ſequuntur Orationes, in quibus laudes, *Pennæ*, *Atramenti & Chartæ* habentur, ejuſmodi etiam ſunt, ut ab eruditis ſine tædio, à rudibus cum utilitate legi poſſint. Ex iis enim ratio ſcribendi Veterum, uſus omnes pennæ, chartæ genera omnia apud Veteres perſpicuè & paucis deſcribuntur.

In reliquis etiamſi tanta Antiquitatis cognitio non appareat & ſuis potiùs ratiociniis indulgeat D. Clericus quàm aliorum inventa aut cogitata ſequatur, at-

attamen ea occurrent quæ legiſſe non pœnitebit, tum in laudem veræ Eruditionis, & Scholarum ad eam adipiſcendam inſtitutarum, tum in vituperium vanæ illius oſtentationis doctrinæ cujuſdam inſulſæ, quâ ſibi mirum in modum placent qui in ea miſerè ætatem triverunt.

Poſt Orationes collocavimus ejuſdem Libellum utiliſſimum, qui inſcribitur *Computus Eccleſiaſticus*, ſcriptúſque eſt in gratiam Studioſorum qui Chronologicis ſtudiis aliquam operam dare cupiunt, volúntque & rationem anni Romani, & diſpoſitionem feſtorum Chriſtianorum ſcire. In hoc enim opuſculo ſummâ perſpicuitate anni Romani ratio, Cycli Solares & Lunares, methodus inveſtigandi ætatem Lunæ per Epactas, aut diem Paſchatis & Feſtorum mobilium, aut Solis & Lunæ locum in Zodiaco ſingulis menſibus & diebus, Cyclus Indictionum, Periodus Juliana ejúſque utilitates διὰ βραχέων expediuntur.

Opuſculorum D. Clerici collectionem claudunt ejus Poëmatum Reliquiæ, in

in quibus argumenta tum sacra, tum prophana complexus est. In quibusdam ostentavit ubertatem ingenii, & carmina fundendi facilitatem, ut in eo Poëmatio, quod est de laudibus *Raporum Sabaudorum*. In aliis aliquando loca Lector animadvertet, quæ forte propiora videbuntur ὁμηροκέντροις & Probæ Falconiæ Centonibus Virgilianis, quàm ut possent Poëmatio inseri. Verùm licèt quædam Centonum instar haberentur, non deesset ejusmodi ludo ingenii sua laus, ut in Parodiis suis ostendit olim Henricus Stephanus. Quod tamen ideò non dico quasi concedam ullum hic esse Poëmation meris centonibus constans. Sunt tantùm paucula loca in quibus occurrrunt versus quidam Virgilii, Ovidii aliorúmque præstantissimorum Poëtarum argumento de quo agitur accommodati. Cùm autem Virgilio licuerit ad verbum Græcos Poëtas, Enniúmque etiam aliósque Latinos aliquando exscribere, cur nobis non liceret ab ipso Virgilio mutuum accipere quod ille antiquioribus debuit? Quam in rem viden-

dendus eruditus libellus Fulvii Ursini quem inscripsit *Virgilium Græcis Scriptoribus collatum.* Alicubi Hemistichia Clericus noster ab aliis mutuò sumpta ita sua fecit & dissimili adeò argumento aptavit, ut ex ejus calamo primùm fluxisse videantur. Exemplum hujus rei cernere est in brevi descriptione tabulæ Timantis, quæ legitur p. 282.

*Iphigenia sacras peritura stabat ad aras*
*Nec lacrumas tenuere ulli &c.*

Quemadmodum Davidis Clerici Quæstionibus Sacris aliquot ejusdem generis à Stephano fratre conscriptas subjunximus: ita & hîc Quæstiones ab hoc in Veterum loca quædam propositas, & enodatas fratris opusculis adjungendas existimavimus. Septem tantùm sunt numero, & κριτικὴν aut φυσιολογίαν spectant. Sunt tamen & quædam quæ possent ad sacra trahi, ut quæ dicuntur de Halcyonibus, quandoquidem Septuaginta Interpretes aliquoties vocem Hebraicam *Bath-jaana* בת־יענה *Sirenas*

verterunt, quæ, ſi Chryſoſtomo credimus, aves ſunt ſimiles Halcyonibus, ut obſervavit *Bochartus Hierozoici* lib. 2. c. 14. p. 2. Inde auctoritate Chryſoſtomi quis oppugnare poſſit ſententiam quam ſequitur hic noſter, quaſi eo conſtet fuiſſe reverâ Halcyonas, cùm Chryſoſtomus earum ὕπαρξιν ita crediderit, ut à Scriptoribus Sacris alio nomine inſignitas docere non dubitaverit. Verùm præter quàm quod, ut probavit vir ſummus modò laudatus, res ipſa oſtendit *Bath-jaanam* non poſſe eſſe Halcyonem, quicquid tandem per *Sirenas* intelligendum apud Septuaginta Interpretes veniat, non affirmat exertè Chryſoſtomus intellectas à Græcis Interpretibus Halcyonas, ſed veluti conjiciendo ᾠδικάς τινας ὄρνιθας, ἀλκυόνας, ἢ γλαῦκας, *canoras quasdam aves Halcyonas aut noctuas*. Atque, ut id dicam quod videtur, credibile eſt doctiſſimum Patrem noluiſſe *Sirenas* propriè dictas intelligi, quòd manifeſtum eſſet meram eſſe, quod de Sirenibus dicitur, fabulam, cui Græcos Interpretes faviſſe ii

non poterant credere qui eos Spiritu Sancto afflatos fuisse existimabant. Itaque *Sirenibus* substituit Chrysostomus Halcyonas, quæ reverâ in rerum natura existere putabantur. At isti Interpretes aliis in locis fabulosorum animalium meminerunt; qualia sunt *Tragelaphi*, *Gryphes*, *Myrmicoleontes*, *Phœnices*, *Onocentauri*. Nolim quidem affirmare eos credidisse ejuscemodi animalia existere, fieri enim posset ut ita fuerint locuti, ex sensu potiùs vulgi, atque ut receptis se se accommodarent sententiis, quàm ut auctoritate suâ eas confirmarent, & docerent fictorum animalium veram esse ὕπαρξιν. Versionem suam adornaverant in gratiam Græcorum, quorum plurimi, præsertim è vulgo, fidem talibus adhibebant. Ita & ipse Hieronymus, vir alioqui minimè credulus, ad vulgi opiniones aliquando verba sua exegit. Vocem Hebraïcam איים, quæ *Thoas* designat, vertit *Faunos ficarios* Jerem. L, 39. non, ut opinor, quod ejusmodi Faunos existere putaret sed quòd Romani existima-

ma-

marent à Faunis iſtis terrores oriri Panicos, viderétque vocem Hebraïcam ab aliâ deduci quæ terrorem ſignificat. Non ignoro equidem eum in vita Pauli Eremitæ narrare Antonio in deſerta Thebaide apparuiſſe *haud grandem homunculum, aduncis naribus, fronte cornibus aſperatâ, & cujus extrema pars corporis in caprarum pedes deſineret*, qui ſe confeſſus fuerit *mortalem; & unum ex accolis Eremi, quos vano deluſa errore Gentilitas, Faunos, Satyroſque & Incubos vocans, colebat.* At hoc ludens dixit Hieronymus, ut & cætera quæ habet de viſionibus Antonii. Quædam, fateor, addit quæ videntur à ſeriò loquente profecta, verùm ſolet & ſub ſeria perſona ludere.

Atque hæc ὡς ἐν παρόδῳ ſatis ſupérque. Nihil jam ſupereſt niſi ut Lectorem moneamus Typothetarum incuriâ atque imperitiâ quædam remanſiſſe hîc menda, quæ antequàm lectio hujuſce libelli inchoetur tollere operæ pretium erit. In ultima & extrema folii pagina vox quæ initio ſequentis repeti debe-

bat

bat, aliquando omissa est, vel perperam posita, at nihil deest. Ita p. 241. initio repeti debebat vox *tolle.* In calce p. 274. pro *Et*, legendum *volvitur:* in 304. pro *Sed*, EPITHALAMIUM. Cætera menda possunt à peritis nullo negotio dignosci, quippe quæ sita sunt in mutatione unius literulæ quæ facilè emendari, vel in omissione quæ suppleri sine ullo animi labore poterit: Addam duntaxat p. 301. in titulo Elegiæ legendum PAULINÆ & p. 204. pro *aues*, legendum *aures*.

IN-

INDEX

# ORATIONUM

## DAVIDIS CLERICI.



*De*

POEMATA.



# DAVIDIS CLERICI
# ORATIONES.

## ORATIO I.

*Encomium Literarum & Artium, præmiáque eis debita.*



Ræmium & pœnam Rerumpublicarum fulcra eſſe & fundamenta, verè ſapiens dixit Antiquitas. Illa enim civitas in qua non minora præmia, imò majora, nequitia & improbitas quàm pudor & virtus habeat, ruinæ non tantùm, & exitio proxima eſt: Illa civitas, inquam, in quâ

*----- damnatus inani*
*Judicio (quid enim ſalvis infamia nummis?)*
*Exſul ab octava Marius bibit & fruitur Dîs*
*Iratis:* ---ubi non laudatur, ſed damnatur potiùs & alget probitas, ubi nullus eſt faciendi pudor, quæ audire erubeſcimus: ubi rabulæ & qui circa curiam fumos venditant ſoli in pretio haben-

tur; in qua ipsi Senatores fiunt togati vulturii & quod magis deplorandum est, togata mancipia; in qua sanctissima est divitiarum majestas; ex qua frugalitas, quâ præcipuè animi firmantur, exulat; in quâ luxus, quo præcipue solvuntur, viget; in qua instar diræ pestis latè gula serpit, adeo ut una mensa integra devoret patrimonia; ubi usu plebeio tritæ voluptates displicent, nec ampliùs vulgo nota gaudia quæruntur, sed externæ dapes, externa fercula per damna famem reparant: Illa civitas, inquam, ubi aleam gula & Venus comitantur, ubi nihil à corruptione tutum, in quâ impunè latrones grassantur, impunè qui foro cesserunt; ubi præmiis insigniuntur corvi, columbæ verò censuræ subjiciuntur; de qua denique verè illud Satyrici dixeris:

*Nil erit ulterius nostris quod moribus addat*
*Posteritas, eadem cupient faciéntque minores,*
*Omne in præcipiti vitium stetit.*

Quod autem in re politica verum est, id multò in re literaria verius esse agnoverunt. Nemo est qui tritum illud & decantatum non noverit, honore ali artes: sed ut honore aluntur, sic etiam contemtu languescunt, solvuntur, pereunt.

Quid magis ad bonas artes juventutem acuit, quàm præmia cum judicio gnavis, sedulis, industriis constituta? quid magis ab ignavia deterret quàm ignominia & dedecus? quid animi credis fuisse ignavo & inerti, ad aram Lugdunensem dicturo? Quid contra magis non juventutem solùm

lùm, ſed & omnem qui Muſis nomen dederit deterret, quàm ſi corona decernatur iis qui nunquam in acie ſteterunt, nunquam caſtra viderunt, nunquam denique tubarum ſonum, niſi in ſpectaculis audierunt, iis poſthabitis qui decus iſtud ſudore, qui decus iſtud ſanguine meriti ſunt? Quàm hoc tibi moleſtum ſi tu famam merearis, alter habeat? ſi tu laboribus & ſolertiâ immortalitatem quæſiveris, alter vero ignàviâ & plagio aſſequutus videatur? Sapienter itaque majores noſtri qui cùm viderent literas inſigne Rerumpublicarum eſſe ornamentum, nec ornamentum ſolùm, ſed fulcrum, ſed vinculum quo ea quæ alias minus cohærerent, nexu indiſſolubili firmarentur, vincirentur, præmiis & liberalitate cives ſuos ad literarum ſtudia invitarunt, ſcholas in quibus omnium diſciplinarum publica fieret profeſſio, inſtituerunt, in quas quicquid potuerunt vel dignitatis vel munificentiæ contulerunt, collegia exſtruxerunt, diſciplinas digeſſerunt, profeſſores deſignarunt, ſalaria addiderunt; incipientium, proficientium, conſummatorum gradus, honores, præmia & emolumenta diſtinxerunt. Cum Catone illo ſeniore, verè utique ſentientes, qui dicere ſolitus erat populum Romanum non tantùm purpuræ, verumetiam virtuti plurimùm conducere. Quemadmodum enim tinctores eum potiſſimum colorem inducunt, quo vident homines maximè delectari, ita iuventus ad ea ſtudia potiſſimùm incumbit quibus populus defert honores.

 Cer-

Certum eſt literarum culturâ non pectora ſolùm molleſcere, aſperitatémque fugere, ita ut legibus & rationi faciliùs obtemperemus; ſed etiam animos noſtros alioqui brutos & humi repentes erigi, generoſos ſpiritus ſuggeri, quibus ut boni principis & qui verè ſit διοτρεφὴς imperium non refugimus, ſic etiam turpiſſimum, & homine libero indigniſſimum ſervitutis nomen eſſe credimus, nec tyrannidis jugum ferre poſſumus, multo minùs ſordidâ adulatione nos polluere, ita ut etiam libertatis publicæ inimicos tam projectæ & fœdæ ſervientium patientiæ tædeat, & cum Tiberio exclamare libeat, O! homines ad ſervitutem paratos! Id tyrannis probè perſpectum fuit. Ideò quos non armis ſolùm exuere & ſpoliare ſed funditus delere inſtituerunt, eos artium finibus arcere, literarum adyto ſed & aditu prohibere modis omnibus tentarunt. Sive per ſacras, ſive per profanas, ſive per veteres, ſive per noſtri temporis hiſtorias iveris, omnia exemplis ſcatent.

Pharaonem diſertè notant Veteris Inſtrumenti paginæ ruinam & exitium Iſraelis meditatum ad turpes & ſerviles operas populum hunc coëgiſſe, ita ut paulatim alias artes etiam paulò humaniores & cum artibus libertatem ſuam obliviſceretur. Ac ſanè tanta fuit populi illius in deſerto imperitia, & tam rude ad quamlibet artem tyrocinium, ut nemo inventus fuerit qui ſacris veſtibus, qui ſacræ architecturæ, qui ſacræ taber-

ber-

bernaculi ſtructuræ, artifices manus admoveret vel poſſet, vel auderet, niſi ſingulari divinæ gratiæ miraculo cælitus infusâ ſcientiâ illuſtres & conſpicui facti eſſent Bezeleel & Aholiab tribules alter Judæ, alter Danis.

Hiccine Cyrum commemorem? Idem enim ſed aliâ viâ aggreſſus eſt, quum Sardenſes olim Crœſi cives luxu & deliciis diffluere juſſit, ut ſic artium memoriâ ſenſim ex illorum animis obliteratâ, jugum faciliùs admitterent, libertatis recuperandæ mediis deſtituti.

Quàm belluina fuerit Tiberii ferocia in artes & artifices, horreo dicere, ea enim eſt ut mihi ne narrari quidem ſine aliquo piaculo poſſe videatur. Ne tamen coronæ circumſtantis ſuſpenſas aures defraudare velle videar, en habete uti Plinius, Dion Caſſius, Iſidorus & omnium fuſiſſimè Joannes Saliſberienſis tradidere. Sub Tiberio faber fuit, qui vitrea vaſa faceret tenacitatis tantæ, ut non magis quàm aurea, vel argentea frangerentur. Quum ergo phialam hujuſmodi de vitro puriſſimo & ſolo ut putabat dignam Cæſare fabricaſſet, cum munere ſuo Cæſarem adiens admiſſus eſt. Laudata eſt ſpecies muneris, commendata manus artificis, acceptata devotio donantis. Faber verò ut admirationem intuentium verteret in ſtuporem & ſibi pleniùs gratiam conciliaret Imperatoris; petitam de manu Cæſaris phialam recepit, eàmque validiùs projecit in pavimentum, tanto impetu ut nec ſolidiſſima &

conſtantiſſima æris materia maneret illæſa. Cæſar autem ad hęc non magis ſtupuit, quàm expavit. At ille de terra ſuſtulit phialam, quæ quidem non fracta erat ſed colliſa, ac ſi æris ſubſtantia vitri ſpeciem induiſſet. Deinde marculum de ſinu proferens vitrum correxit aptiſſimè & tanquam colliſum vas æneum crebris ictibus reparavit, quo facto ſe cælum Jovis tenere arbitratus eſt, eò quòd familiaritatem Cæſaris & admirationem omnium ſe promeruiſſe credebat, ſed ſecus accidit. Quæſivit enim Cæſar, an alius ſciret hanc condituram vitrorum, quod cùm negaret, eum decollari præcepit Imperator. Dion Caſſius addit eundem artificem paulò ante Porticum maximam labentem mirabili artificio erexiſſe, ideò autem nomen artificis ignotum eſſe, quòd Tiberius invidia ductus noluerit in faſtos referri. τῇ γὰρ θαυματοποιΐᾳ αὐτοῦ φθονήσας ὁ τιβέριος οὐκ ἐπέτρεψεν αὐτοῦ ἐς τὰ ὑπομνήματα ἐσγραφῆναι. Quis monſtrum illud non deteſtetur? quis ad tam portentoſam invidiã totus non cohorreſcat? quis furioſum latronem non abominetur, qui tam nobilem artem in ipſis cunabulis, quid dico in ipſis cunabulis? imò verò in ipſa auctoris mente, tanquam in ipſo parturientis utero ſuffocavit?

Longè aliud animi fuit Alexandro qui captis Thèbis Pindari ædibus, Demetrio qui Rhodi, ſuburbio direpto, Protogenis picturæ pepercit. Longè aliud animi fuit Nealci qui Arato deſtinanti tyrannorum communi odio, abolere tabulam

Jam insignis artifici quæ Aristratum in curru victorem habebat, supplex intercessit ut opus incolume servaretur, cum tyrannis non cum tyrannorum imaginibus belligerandum esse dicens.

Julianus ille, qui Apostatæ cognomentum meruit, hoc etiam adversus Christianos stratagemate usus fertur; scholas interdixit, libros igni bus absumpsit.

Et ne hæc obsoleta & antiquata dicas, unde Patrum nostrorum tempore prodierunt Thomistæ, Scotistæ, Occamistæ, Reales, Nominales, & id genus prodigia, quorum si libros consulueris, tanta erit intelligendi difficultas ut non modò Latinè, sed nec humanè loquutos credere possis; unde, inquam, prodierunt nisi ex solidæ literaturæ contemtu & præmiorum in indignos collatione?

Si puerum adhuc nascentem iis præmiis, iis honoribus affeceris quibus strenuum militem, quibus jam rude donandum, quis animum prorsus non abjiciat? quis (nisi bene natus) planus non præoptet esse? quis enim benefactorum, quis meritorum conscientiâ fretus ganeoni, aleatori, scurræ, non dicam postponi, sed æquari sustineat? Si inanis gloriola Demosthenem tetigit, si mulierculæ susurro, tanquam laborum suorum præmio gavisus est, quantò magis vel levissimi contemtûs aurâ afficimur? siquidem animos nostros passibus æquis non penetrant honor & ignominia. Facilè honores spernam, ægrè pro-

 brum

brum, contemtum, ignominiam ſuſtinebo. Sapienter itaque Reſpublicæ quæ bonæ conſtitutionis laudem reportavere, in Senatum non admiſere pueros.

Prætextati nomen in Romana hiſtoria ignorat, qui hoc in Romana republica ignorat. Sapienter, inquam, à ſapientibus legiſlatoribus hoc decretum. Sepone pauliſper induſtriæ præmium, ſepone ad bonas artes incentivum, quis fortunas omnes ſuas, vitam, honorem, niſi coactus & torrente abreptus, ei velit credere, cui liber ne teruncium quidem velit credere? quis homini ſub imperio uxorio viventi, quis homini cujus incuriâ res domeſticæ jacturam patiuntur, quis homini qui, ut uno verbo eloquar, familiam regere nequit, ſed ipſe potiùs rectore indiget, Reipublicæ gubernacula committi æquo animo patiatur? Si ſceleratiſſimis mangonibus, ſi fœdiſſimis cauponibus Eccleſiarum cura demandetur, optimi & opimi proventus aſſignentur, ubinam comparebunt Tertulliani, Origenes, Nazianzeni, Chryſoſtomi? ſi profani Uzię quæ ſunt muneris Eccleſiaſtici ſibi arrogent & impuras thuribulo manus admoveant, ubi Lutheri, Melanthones, Buceri, Calvini? Si turpiſſimi rabulæ quorum ſtentoreis & belluinis clamoribus omnia perſonant, quorum lingua venalis nihil aliud novit quam mortuorum memoriam βλασφημεῖν, qui clitellis potiùs quàm clientelis onerandi ſunt, impudenter ſe jactitent, & dignitatibus publicis ad-

admoveantur, ubi Demosthenes, Cicerones, Hortensii, Pauli, Scævolæ, Papiniani? Si bene compti pupi & toti de pyxide prodeuntes, tam Gajacci & hydrargyri quam bonæ mentis egentes, uno solis amfractu in medicos evaserint & Hygiæ ac Panaceæ sacris profanas intulerint manus, ubi Podalirii, Machaones, Æsculapii, Hippocrates, Galeni?

Dignitas & præmium in indignos collatum non minùs imprόbos ad prædam invitat, quàm probos alienat. Non minùs mercedis exiguitas, non minùs paupertas ingenia deprimit quàm contemtus. Multorum virtutibus obstitit res angusta, sed plures spreti & contemti animum abjecere. Ille demum gravissimus est lapis qui alatos & alarum suarum remigio in sublime tendentes deorsum rapit, & laudabiles conatus remoratur aut irritos reddit. Sanè Principes quibus aliquid generosi & ex quorum pectore non exulavit penitus omnis virtus, sanè Respublicæ saniores præmiis & honoribus, uti stimulis, studia literarum excitarunt. Josephi & Danielis scientia aurum, purpuram, provincias meruit. Ebræi volunt pœnâ ab Ezechia dictâ in eos qui studium legis negligerent, neminem indoctum à Dan usque ad Berseba, à Gabbath usque ad Antiphras repertum esse. Crœsus Æsopi ingenium miratus insulanis Samiis tributum remisit. Rex regum Artaxerxes Hystanem Hellesponti præfectum Hippocrati Coo χρυσὸν ὁκόσον ἂν βού-

*λῆ]αι auri quantum vellet*, reliquáque quibus indigeret effusè exhibere jussit.

Alexander Principum maximus è sinu Aristotelis prodiit, & è summo illo scientiæ culmine summum illud potentiæ culmen. Certavere uterque, alter studio indefesso, & labore plusquàm Herculeo, alter liberalitate, sed liberalitate quæ solum Alexandrum decuit. Hinc libri illi æternùm victuri & regali Pyramidum situ diuturniores prodiere, hinc illi humani ingenii aquilæ præstantissimi fœtus, ex quibus tanquam ex Oceano reliquorum omnium Philosophorum libri tanquam rivuli fluxere. Quanta tunc, bone Deus! & quàm fertilis, quàm læta, quàm luxurians ingeniorum bonorum seges? Certatim omnes eminere, certatim omnes tanti Principis favorem promereri. Ne unus quidem Chœrilus misserrima cornicula, ingratissimus anser, inter tot olores indonatus abivit. Venusini monumentis traditum.

*Gratus Alexandro Regi magno fuit ille*
*Chœrilus, incultis qui versibus & male natis*
*Rettulit acceptos, regale nomisma, philippos.*

Quæ Respublica tot unquam abundavit heroibus atque Athenæ, ingeniorum delicatiorum mater? quia scilicet ea facta est quæ fieri debuit literarum æstimatio. Augusti & Mœcenatis ætas Virgilios, Horatios, Ovidios, Gallos, Propertios, Tibullos, Tuccas, Varos orbi dedit. Quàm lepidè, quam argutè Bilbilitanus olor tantæ fertilita-

tatis, tantæ ingeniorum segetis caussam describit.

*Temporibus nostris atas quum cedat avorum,*
*Creverit & major cum duce Roma suo.*
*Ingenium sacri miraris abesse Maronis,*
*Nec quenquam tantâ bella sonare tubâ.*
*Sint Mœcenates, non deerunt Flacce Marones,*
*Virgiliúmque tibi vel tua rura dabunt.*
*Jugera perdiderat misera vicina Cremona*
*Flebat & abductas Tityrus ager oves.*
*Risit Tuscus eques paupertatémque malignam*
*Reppulit, & celeri jussit abire fugâ.*
*Accipe divitias & vatum maximus esto*
*Tu licet & nostrum, dixit, Alexin ames.*
*Adstabat Domini mensis pulcerrimus ilie*
*Marmoreâ fundens nigra Falerna manu,*
*Et libata dabat roseis carchesia labris.*
*Quæ poterant ipsum sollicitare Jovem.*
*Excidit attonito pinguis Galatea Poëta,*
*Thestylis & rubras messibus usta genas.*
*Protinus Italiam concepit & arma virúmque*
*Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.*
*Quid Varos, Marsósque loquar, ditatáque vatum*
*Nomina, magnus erit quos numerare labor?*
*Ergo ero Virgilius si munera Mœcenatis*
*Des mihi: Virgilius non ero, Marcus ero.*

Honos ergo, lepidissime Martialis, non solum alit, verum etiam gignit artes.

Miraculo haud procul abesse dixerim quod de Olympiis, Pythiis, Nemeis, Isthmiis, in Græcorum monumentis legimus. Vix credi potest quàm

quàm cassus honor hominum animos accenderit, vix credi potest quam gloriosum fuerit ex oleastro, esculo, lauro, apio, pinu coronam referre. Olympionicam esse apud Græcos majus fuit & gloriosius, quàm Romæ triumphasse. Tigranes Olympiade LXX. audiens coronam oleaginam esse victoris Olympici præmium, animo perculsus dixit, *Papæ! Mardoni, in quos viros induxisti nos adpugnandum, qui non pecuniarum certamen agitant, sed virtutis?* Solâ virtute, solâ gloriâ incitati sine ulla spe lucri ita se exercebant, ut artium quarum specimina exhibituri erant fastigium attingerent. Imò sola gloriola quam quis ex spectantium oculis aucupari potest, omnis generis peritissimos artifices illuc ciebat, qui non certandi, sed sese ostentandi caussâ tantùm illuc commeabant. Orator Arpinas & Madaurensis Philosophus illustre suppeditant exemplum, Eleum Hippiam Sophistam, artium multitudine illustrem, eloquentiâ nulli secundum, Sophistam ingenio nobili, memoriâ excellente, studio vario, Sophistam non minùs cultu visendum, quàm elaboratu mirandùm, quodam certamine Olympio Pisam venisse memorant, non tam ut spectaret quàm ut ipse spectaretur, quique ideo maxima illa celebritate ludorum gloriatus est, cunctâ pæne audiente Græciâ, nihil esse in ulla arte rerum omnium quod ipse nesciret, nec solùm has artes quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continerentur, Geometriam, Musicam, Literarum

rum cognitionem, & Poëtarum, atque illa quæ de naturis rerum quæ de hominum moribus, quæ de Rebuspublicis dicerentur; sed annulum quem haberet, pallium quo amictus, soccos etiam quibus indutus esset se suâ manu confecisse. Quis autem hæc audiens & videns non laudasset hominem tam numerosâ arte multiscium, totijugi scientiâ magnificum, tot utensilium peritia Dædalum?

Sed externis omissis, ut ad nostra veniamus, patrum nostrorum memoriâ ubi Leo X Pontifex creatus literis & literatis favere se ostendit, quot ingeniorum examina ex Italia tanquam ex alveario prodiere? Bembi, Sadoleti, Mantuani, Sannazarii, Victorii, Manutii. In Gallia sub Francisco Primo Budæi, Vatabli, Tusani, Turnebi, Merceri, Stephani. paulo post Cujacii, Fernelii & id genus heroës. Artifices invitati artem suam exeruere, nec exeruere solùm sed honestâ æmulatione alii alios superare conati sunt, ita ut hac æmulatione ad summum fastigium artes ascenderint. Nec tantùm à majoribus accepta excoluimus, sed & novæ artes excogitatæ, pulveris pyrii & sclopetorum & quæ omnes omnium veterum artes superat Typographia, cujus auctor fertur Joannes Cuthenbergus Moguntinus, ne quid nostra ingenia antiquorum ingeniis deberent.

Sed ne in priscis & antiquis, ne in externis domesticorum inopiâ hærere credamur, hic singu-

gulari Dei misericordiâ & beneficio, amplissimi Ordinis authoritate, Majorum nostrorum liberalitate, schola & minor & major fundata est, stipendia doctoribus assignata, si non ampla tamen pro Reip. fortuna. Nec solùm juventus institutione gratuitâ excitatur, sed præmiis & honoribus, uti hodie conspicimus, stimulatur.

Si olim Græci cassium honorem tanti fecerunt, quantò pluris, tu Juventus, honorem liberalitate conditum facere debes, quantò magis excitari & ad ardua virtutis per honores, per præmia tendere? Si nubecula in Procyonis ardoribus, si nubecula etiam humore vacua grata est, quantò gratior esse debet quæ imbrem largum effundit & terram abunde irrigat, ardorésque mitigat. Virtus ipsa sui est merces, ipsa per se expetenda, stimulis itaque opus esse non deberet, non mercede, non honoribus, non lenociniis verborum quò illius callem insisteremus. Tamen nostri fastidii, nostræ imbecillitatis conscii Majores nostri arduam virtutis viam, his veluti viaticis, instructam esse voluerunt; tædium & molestiam, si quæ sit, his commodis lenire voluerunt, sapientes medicos imitati, qui salubres, sed voluptate carentes cibos blandioribus alloquiis prosequuntur.

Hunc, ô cives, inter præcipuos libertatis vestræ fructùs computate, nec parvi ducite liberos vestros cum ipso lacte pietatem & bonas artes imbibere; ne, ne parvi ducite hanc miserationis

divinæ

divinæ indulgentiam, quam multi optavere nec assequi valuerunt, multi amissam serò nimis conquesti sunt. Futurum est, si neglexeritis, ut vos tandem, sed seriùs fortasse, pœniteat. A filio sapiente patrem exhilarari dixit Ebræorum sapientissimus, sed ut filius sapiens patrem exhilarat, sic etiam stultus & insipiens canos patris cum mœrore in sepulcrum detrudit. Hæc est sapientiæ assequendę, hæc est stultitię vitandæ ratio; hanc amplectimini, huic insistite, hæc est libertatis vestræ conservandæ via, nolite ab illa recedere, nolite ab hoc tramite deflectere; gratis datur, lubenti & grato animo accipite. Ne surgant in judicium contra vos Ethnici, quorum multi ingentibus stipendiis, insanùm magno minervali, sæpe liberis suis præceptores conduxerunt, præceptores qui profanâ illos literaturâ polirent. Vos hîc habetis qui sine ullâ fortunarum vestrarum decessione, sine ullâ loculorum vestrorum exinanitione non profanas solùm sed & sacras simul literas liberorum vestrorum animis instillent. Promti itaque & alacres oblatum beneficium ad mittite. Jam pridem docuit Melesigenes non esse spernenda, non esse rejicienda

----- θεῶν ἐρικύδεα δῶρα.

Æternis Poëtarum scriptis infamatus est Paris quòd Minervam Veneri, artes scilicet & literas luxui & ignaviæ postposuerit. Annon argento contra, annon Persarum montibus, qui aurei fuisse perhibentur, vel levissimam infamiam redimeretis?

retis? Redimeretis sane: Infamiarum ergo maximam gratis redimite, ne in laudabili hoc virtutis studio extremi conspiciamini.

*Extremos pudeat rediisse, hoc vincite cives*
*Et prohibete nefas.*

Non est, mihi credite, non est parvi res momenti liberorum vestrorum institutio, illi sunt Spiritus Sancti templa, illi sunt quos ad se admisit nec repelli sustinuit beatus Servator noster. Non est parvi res momenti; equus generosus vobis gyrum carpere, gradibus compositis sonare, gressus superbos glomerare, alterna crurum volumina tentare, cursibus auras provocare docebitur; accipiter columbam sursum vestrâ institutione petet, & patentis planitiei, libertatisque simul compos, ad dominum tamen redibit; canis leporarius ad prædam sectandam, nasi sagacitate deprehendendam, domini revocantis vocem audiendam omni studio formabitur, & liberi vestri, pro hominum fidem! minore studio docebuntur! Illa, Illa sunt, si nescitis, plantaria in quibus, Senatores, magistratus, doctores, imperatores, Reipublicæ domi forisque tutores & propugnatores latent. Illi, illi, inquam, sunt flores, qui Sabæos, qui Arabicos omnes odores suavitate suâ superant. Nullas hic mihi afferte malobatri plantas, nulla exterarum gentium aromata, nullos exoticos, nullos cęli nostri flores, omnia enim vel quæ fabulosa commenta est Antiquitas fragrantiâ suâ longe post se relinquunt.
Vos-

Vos quoque, Ampliſſimi Senatores, pergite ſapientum Principum, prudentium Rerumpublicarum exempla vobis aſſiduè ob oculos proponere. Nullæ vos hîc difficultates, nullæ temporum anguſtiæ turbent, ſi per ardua nitamini, longè magis conſpicua erit virtus veſtra. Nequaquam par gubernatoris eſt virtus, quum placido & quum turbato mari vehitur; tunc admirante nullo illaudatus, inglorius portum ſubit; at quum ſtridunt funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus & illuſtris, tunc fama illius ſuper æthera fertur.

Vos qui Patriæ patres, qui Reipublicæ columina cluetis, à communi Rerumpublicarum vitio, per Deum inmortalem, hanc Rempublicam liberate; nolite, nolite permittere ut de ea jactetur quod de aliis jactatur, *Omnium ingratiſſimas reſpublicas & quod reipublicæ benefeceris fere perire, ubi enim in omnes beneficium contuliſti, nemo in ſe collatum exiſtimat, quum è contrario ſi rempublicam vel mente ſolùm læſeris, omnes, & jure quidem, ſe læſos arbitrentur.* Reapſe oſtendite vos veros Patriæ Patres, boni publici Tutores, ſanctos juris & æqui diſpenſatores eſſe, qui unicuique quod ſuum eſt reddatis, debitam ſcilicet malis poenam, iis vero qui de Republica bene merentur dignitates, honores, præmia, ut veſtro exemplo oſtendatis etiam illum ſingulis benefeciſſe, qui Reipublicæ benefecerit.

Vidiſtis, nec ſine lacrumis vidiſtis, quod ſine

lacrumis meminisse vix possum, extremis hisce temporibus tot, tantarúmque regionum desolationes, tot & tantas turbas, quas Diabolus cum suo satellitio, Pontifice Romano & ejus Clero suscitavit & quæ necdum quievere. Date ergo operam ut cives vestri iis artibus instruantur, quibus sese hostium violentiæ opponere, quibus ferociam illorum retundere, quibus victore pede illorum cervicem non tantum conculcare possint. Exemplo etiam, justitiâ, virtute, fortitudine illis præire pergite, hoc præsertim tempore quo, si alias unquam, hoc Thraleæ Pæti jam jam morientis jure usurpare possumus, *Libemus Deo liberatori*. Specta juvenis, & omen quidem Deus prohibeat; cæterùm in ea tempora natus es, quibus firmare animum expedit constantibus exemplis. Dixi.

---

## ORATIO II.

*De Scholarum Institutione, ac præsertim de Schola Genevensi.*

Lis vindiciarum hodie agitur, Schola est Genevensis, quam liberali causâ manu asserere animus est. Nisi vindicias tulero, caussam non dico quin pipulo differar; quin, si falsas tulero, non fructi tantum duplione, sed centuplione decidam. Gloriabatur olim Augustus urbem marmoream se relinquere quam lateritiam accepisset,

ſet, ac ſane tutam illam, quantum provideri humanâ ratione potuit, in poſterum præſtitit Majus quippiam de ſe gloriari potuerunt Patres noſtri, qui Genevam quam ad vanas ſuperſtitiones & humanarum mentium ludibria revolutam acceperant, nobis è Pontificia Chriſtianam, pietate, ſanctitate ac verâ religione inſignem & conſpicuam reliquerunt, quippe qui intellexerant Chriſtiani, hoc eſt, ſui muneris eſſe ut Eccleſia quàm feliciſſimum poſt ſe ſtatum obtineret. Nam ſi agricolæ in iis laborant, quæ ſciunt nihil omnino ad ſe pertinere, ſi ſerunt arbores quæ alteri ſæculo proſint, nec dubitant, quærentibus cui ſerant, reſpondere, Deo immortali, qui ſe non accipere modò hæc à majoribus voluit, ſed etiam poſteris prodere; quantò magis Chriſtianus vivi ac vivifici capitis vivum & nunquam intermoriturum membrum, qui poſteritatem cujus ſenſum & habet & habiturus eſt, ad ſe pertinere novit, Eccleſiæ ſerviet? Eccleſiæ, inquam, quæ mater noſtra eſt, quæ nos Deo gignit, cujus ubera ſugimus, quæ nos parturit, uſquequo formetur Chriſtus in nobis, quéque nos jam hic in terris cœlo beat. Sanè in nefarium ἀχαριστίας crimen incurrere illum neceſſe eſt, qui cariſſimæ, qui pientiſſimæ matri hinc migraturus non providerit, præſertim quum tot illam circumſtent pericula, & Diabolus perpetuò tanquam leo rugiens obambulet, quærens quem devoret, & lupi graves, nec gregi parcen-

tes fidelium paſtorum diſceſſum obſervent & explorent, quò facilius gregem adoriantur.

Sanè hæc cura Moſem ſollicitum habuit. Ultimâ illi neceſſitate denuntiatâ, *Provideat ſibi, inquit, Dominus ſpirituum omnis carnis, hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire, & intrare ante eos & educere eos, vel introducere, ne ſit populus Domini ſicut oves absque paſtore.* Hæc cura Joſuam, Davidem, Paulum, Petrum ſemper ſollicitos habuit. *Studebo ſubinde* inquit iſte, *ut posſitis poſt exitum meum horum meminiſſe*: Hæc cura Patres quoque noſtros ſollicitos habuit. Ideò quum juventutem Eccleſiæ & Reipubl. ſeminarium eſſe intelligerent, & agros quamvis bonos & fertiles, ſine culturâ fructuoſos eſſe non poſſe, ſteriles verò diligentiâ ac culturâ meliores fieri, toto animo & ſtudio omni in culturam illam incubuerunt, & ſummis quibus conflictabantur & tantùm non affligebantur difficultatibus incredibili animi generoſitate perruptis, ſcholam hanc anno ſuperioris ſæculi 59 Nonis Juniis aperuerunt, & ſanctiſſimis ſapientiſſimiſque legibus fundarunt, in quibus curioſè, imò religioſè adeò omnia quæ ad juventutis educationem ſpectant perſequuti ſunt, ut nihil omnino in illis requiri vel deſiderari poſſit, ſive in majorem, ſive in minorem ſcholam oculos conjiciamus. Perſarum leges de puerili educatione laudarunt Veteres, Solonem eo quoque nomine & meritò ſuſpexerunt, ſed nemini de gloria hâc conceſſerint Patres noſtri. Tantâ ſapientiâ,

tiâ, tantâ prudentiâ & æquitate omnia pensitarunt, omnia rimati sunt, ut amussitatam tantorum virorum industriam, subactum ingenium, acre & subtile judicium omnes amplexi & deosculati sint.

Felicem ac beatam Spartanorum Remp. fuisse prædicant, dum viguerunt Lycurgi leges & à patriis institutis abduci se non passi sunt; sed feliciorem, imo felicissimam scholam nostram jure dixerim, dum leges à Patribus nostris fixæ vigebunt, dum aureâ illâ simplicitate contenti peregrinitatis quæ mille habet offucias, fucum aversabimur, Ubi sese illa in mores & scholam nostram infundet, & Patribus nostris sapientiores, mutandi & novandi prurigine quotidie laborabimus; actum de illâ, actum de illâ dicite. Exitiosi semper erunt illi mores exteri, eandémque pestem indubitanter oppetet, quam scholæ quarum exemplum imitata fuerit. Gentis hujus & loci indoles Patribus nostris longè meliùs, quàm nobis cognita ac perspecta fuit. Ideò si quid necessum esse viderunt, id ab illis prætermissum sine piaculo credere non possumus, omnia diligentissimè excusserunt, in minima quæque exactè, imò scrupulosè inquisiverunt. Personis, loco, tempori, rectæ institutioni, rebus quibuscunque potuerunt, prospexerunt ac consuluerunt.

Age, quid in inferiore scholâ præstiterint videamus. Persas propterea Xenophon laudat quod scholæ suæ, seu ludo publico quem ἐλευθέ-





Θέατρον ἀγορὰν vocabant, locum à foro, à mercatoribus, negotiatoribus, opificibusque omnibus remotum delegerant, ne id genus hominum clamoribus, contentionibusque, eorum qui illic in bonis disciplinis instituebantur & bene ac liberaliter educabantur, animi quies interturbaretur, aut strepitu aliquo animus ipse avocaretur. Quid hîc Patres nostri? Locum delegerunt à profanâ turbâ semotum, locum in amœnissimâ & saluberrimâ totius urbis regione situm, ne tenera ac delicata ætatulæ illius corpuscula loci vitio in morbos inciderent, locum tam commodum, tam aptè ad docentium, discentiumq; usus distinctum, ut nihil pote supra. Sed nihil certè hoc quidem, præut alia fecerunt.

Noverant pueritiam vestibulum quodammodo vitæ esse & reliquæ deinceps ætatis formam quandam, similitudinémque præferre, illud ergo quam maximè decorum ac elegans esse voluerunt, & ab initio statim ita mores formari, ut non solùm bonas literas, sed virtutem potissimum colere & amplecti, vitia odisse atque aversari pueritia disceret. Ideò non tantùm gravis & maturæ ætatis, spectatæ eruditionis, sed & notæ probitatis ac pietatis viros septem primò, mox duobus superadditis, pro Musarum numero, novem illi præfecerunt, qui & artium liberalium magistri ac præceptores essent & simul vitæ, morumque exemplar. Multum quippe interest quem teneris illis annis ceræ instar ductilibus &

quo-

quocunque ducas flexibilibus præficias, procliviores enim ad malorum imitationem ferè sumus, & quorum virtutes assequi non possumus, vitia citò exprimimus.

Græca prodit historia magnum illum Alexandrum, qui totum pene orbem victoriâ emensus est, & in moribus & in incessu Leonidæ præceptoris vitia repræsentasse, adeò deteriora pertinaciter hærent! Quem primum lana imbibit colorem, raro ac difficulter deponit, pristinus frustra revocatur candor. Surculus si corrigendus est, maturè corrigendus, dum, quò libet flectenti, obsequitur.

Id autem non tam verbo quàm opere, absque quo verba erubescunt, consequimur. Nam quum certissimum sit ἔργα ὑπερφθέγγεσθαι τῶν λόγων, magis exemplo quàm præceptis discipulos docent magistri & ad sui imitationem accendunt. Hoc fundamento non prudenter minùs & sapienter quàm feliciter jacto, nihil sanctius & antiquius habuerunt, quàm ut cum literis pietatis præcepta teneris pueritiæ auribus quam studiosissimè instillarentur. Institutum & rationem quam hic iniverunt, ordinem & methodum quam sequuti sunt omnes tunc mirati sunt, & quibus hodie aliquid sub lævâ mamillâ salit, etiamnum mirantur, adeò ut post illos in eandem palæstram descendere, hoc sit post Roscium in scenâ gestum velle agere, post tantos ac tales viros hiscere mera sit putiditas; ignoscant mihi Ciceronis manes, siquid mihi minùs Latinum indignatio extorqueat.

Annon quotiescunque in scriptoribus quos illi non populari quâdam trutinâ, sed exactâ & accuratâ aurificis staterâ tantùm non scrupulatim examinatos juventuti prælegendos statuerant, aliquid immutavimus, stultorum ille magister eventus nos pro thesauris carbones, quod ajunt, substituisse semper docuit? Horas & matutinas & pomeridianas adeò concinnè & commodè distribuerant, ut quælibet alia distributio nihil ad illam. Quàm verò, quæ male feriatâ quorundam aliquid semper novare gestientium pervicaciâ horarum matutinarum invecta est mutatio, irritùm & præter spem novatorum ceciderit, exponere non est opus: mutationem illam nemo cordatus non graviter gemit, & magno redemtam vellet quisquis non privatum commodum, quod semper offecit, officiétque publicæ utilitati, sed commune bonum & emolumentum spectat.

Sed hæc ut externa levioris forte sunt momenti, si quid in re adeo gravi, leve dici queat, quàm ut illis sit immorandum; at in intima rei si penetraverimus, mirabilis hic quoque elucebit mentis solertia. Quum satis illis constaret malam educationem non solùm nervos omnes & mentis & corporis frangere, sed etiam intractabilem reddere juventutem ac quâvis belluâ efferatiorem ac nocentiorem, hominémque non bene institutum esse, ut cum Platone. l. 6. de leg. loquar *ἀγριώτατον ζῶον ὁπόσα φύει γῆ*, vel ut l. 7. *πάντων θηρίων δυσμεταχειριστότατον*, soli parentum

ar-

arbitrio liberorum educationem ac institutionem permittere minimè consultum arbitrati sunt. Mollior enim plerumque est parentum educatio, & nimia indulgentia, qui lasciviùs à suis dicta vel facta, non lasciviæ, aut petulantiæ, sed ingenii nescio cui vividitati ferè solent adscribere, & gaudent, ut inquit ille, siquid licentiùs dixerint; vel fecerint, verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis risu & osculo excipiunt; si quem contumeliosè injuriâ affecerint,

*Quum patrem adis postulatum, puero sic dicit pater.*
*Noster esto, dum te poteris defensare injuriâ.*

Adeò ut crescentibus illis, crescant & vitia, Patriéque tandem inutiles, & omnibus intolerabiles evadant.

Ne tamen nimia disciplinæ severitas teneras illas plantas à scholâ deterreret, vitia castigari quidem voluerunt, sed clementer & moderatè; desidiam objurgari, sed leni & paternâ objurgatione: obsequium contrà, modestiam, industriam, attentionem probari, æmulationem laude & exemplis propositis excitari, diligentiam præmiis decorari, ut & vicisse gauderent & victi dolerent. Quin & illis quandoque indulgeri, modo id prudenter & tempestivè fieret, non abs re esse duxerunt. Virtutis pulchritudinem, vitiorum turpitudinem & deformitatem depictas illorum oculis quotidie subjici curarunt, ut illâ capti hanc detestarentur. Has illi leges sanxerunt & sanctiones illas hactenus feliciter observatas juventutis hujus, tum in

pietate ac fidei rudimentis, tum in bonis moribus ac literis, ut est ætatis istius captus, non pœnitendi profectus ostendunt; quorum ipse & collegæ mei VV.CC. nec mihi sine honoris præfatione nominandi, non auriti tantùm, sed & oculati testes sumus, etsi id ipsum nonnullis videtur secus. Sed quid tu huic hominum generi facias? sic est ingenium, nec id hodie primulum occœpit. Jam olim eleganter Flaccus:

*Difficilis, querulus, laudator temporis acti*
*Se puero, censor, castigatórque minorum.*

Verùm illis omissis non possumus hîc præceptorum fidem, diligentiam ac industriam non laudare, qui licèt multorum ingratum animum in dies experiantur, non ingrati tamen hoc in se oneris suscipiunt. Pergite, Viri fratres, pergite cara Deo capita, & ne quasi parva, contemnite ea sine quibus magna constare non possunt. Ne erubescite, Viri Docti, id facere in juventute Christianâ, quod summus ille philosophorum Aristoteles in Philippi filio fecit. Ad rerum summam pertinere credite studiorum initia à doctissimis & perfectissimis quibusque tractari: quamvis exigua hic speranda sit merces, magna tamen illa & certa, si Spartam vestram alacriter & diligenter excolueritis, vos apud Deum in cœlis manet.

Sed gradum promoveamus, ab inferiori ad superiorem scholam ascendamus. Multis jam ante annis *Johannes Calvinus*, vir verè incomparabilis ac immortali sæculorum omnium memoriâ in pau-

paucissimis dignus SS. Theologiam profitebatur. Sed ei collega tunc adjunctus est magnus ille *Theodorus Beza*, qui alternis hebdomadibus idem munus obiret. Professores verò in humanioribus literis & artibus designati sunt *Antonius Cevalerius*, qui Ebræam linguam, *Franciscus Beraldus*, qui Græcam, & *Johannes Tagautius* qui Philosophiam doceret, atque hoc Professorum numero abunde scholæ satisfactum putarunt, & revera satisfactum experientia ipsa docuit. Ex scholâ enim in hunc modum constitutâ, tanquam ex equo Troiano, meri prodiere duces, viri consummati & omnium magnarum rerum atque artium scientiam consecuti, quorum operâ clarum ac celebre nomen per totum orbem adepta est Geneva.

Non sunt quidem adeò velocia ac mobilia nostrorum ingenia, *τῇ γὰρ τοῦ περιέχοντος ποιότητι συνεξομοιοῦσθαι πεφύκαμεν πάντες ἄνθρωποι*; quapropter ut est nationum diversitas, plurimum ab invicem ingenio, formâ, colore distamus. Sunt qui ingenium magis in numerato, qui splendoris externi, qui lenocinii multùm habeant, sed judicii, sed soliditatis parum. Nostri non habent ista oculiferia, nec emtorem decipiunt, sed par magnis rebus est illis ingenium, exquisitum judicium, singularis perspicacia, subacta prudentia, nam plaga cœli ad robur non tantùm corporum, sed etiam animorum plurimum valet. Externus tantùm deest illis splendor, plus habent in recessu, quam fronte promittunt, sed hoc pacto, inquies,

quies, ὀλίγοις ἀρέσκουσι, paucos in partes suas pertrahunt, paucis se approbant; quum tamen cæteris illis omnes applaudant: An nescis mi homo, ὅτι οὐ δεῖ τέλος ποιεῖσθαι τῆς τέχνης τὴν παρὰ τοῖς θεάτροις εὐημερίαν, *scientiam theatrorum gratiâ & successu non esse æstimandam?*

Nam ferè omnia quæ in vitio sunt multitudini placent. Effringere, quàm aperire, rumpere quam solvere, trahere quam ducere putat robustius. Rudia politis majora, & sparsa compositis numerosiora credit; maledicentiam pro libertate, temeritatem pro fortitudine, effusionem pro copiâ, ventosam & enormem loquacitatem pro eloquentiâ, nugas pro seriis accipit, quia libentissimè homines audiunt ea quæ ipsi dicere voluissent, eruditi nempe erudita, inepti & imperiti stolida & inepta. Pronuntiatione quoque insolenti capitur: nam & clamare & omnia levatâ manu emugire, cava verba & in modum vesicarum tumentia ἱπποβάμονα ῥήματα, ὑψιλόφων τε λόγων κορυθαίολα μήκη, buccis, ut loquitur Hieronymus, trutinari inflatis, multo discursu, anhelitu, jactatione, gestu, motu capitis furere, collidere manus, terræ pedem incutere; femur, pectus, frontem cædere mirè ad pullatum circulum facit.

Eruditorum verò pudorem & modestiam tanquam inscitiam traducunt, nam ut vita pro virtutibus, ita virtutes pro vitiis interpretantur: non ideò tamen cedent eruditi, sed contra audentiores ibunt. Καὶ πάλαι μὲν τὸ παρὰ τοῖς ὄχλοις εὐδοκιμεῖν σημεῖον

ἦν

*ἣν κακοτεχνίας. Iam enim olim*, ut inquit Athenæus, Deipnoſ. l. 14. *populari turbæ placuiſſe, imperitiæ argumentum erat*, quam ob rem Aſopodorus Phliaſius, tibicine magno plauſu à conſeſſu laudato, in hypoſcenio ſubſiſtens, quidnam hoc eſt? inquit, magnum oportet aliquod malum accidiſſe, alioqui tam numeroſi conſeſſûs applauſum non meruiſſet. Sed è diverticulo in viam. Hoc Profeſſorum numero diu ſchola noſtra floruit, donec non ullâ quidem neceſſitatis coactione, ſed aſſiduis exterorum efflagitationibus ad Philoſophiæ Profeſſorem alter additus eſt. Sed ut genus quoddam eſt hominum, quorum petitioni ſi ſemel quippiam conceſſeris, irritantur non ſatiantur; plura ſemper requirunt, nec ullum unquam poſtulationibus ſuis ſtatuunt modum, ſimplicitatem illam, quam in Philoſophiâ docendâ ſemper adhibuerunt noſtri, quamque etiam nunc adhibemus, & adhibendam ex perſonâ quidem non gravi, neque idoneâ, verè tamen ingenuéque in Gorgiâ dixit Plato veritatis homo amiciſſimus, ejuſque omnibus exhibendæ promtiſſimus, mox aſpernati ſunt, delicatiſſimorum quippe hominum palato malùm reſponſabat. In litigiis, perpetuiſq; contentionibus educatis, Sophiſtica perplacuit; fumo paſci ſolitis, fumus; levitatis (vel apud ipſos Veteres) proverbiis tritæ compertis, & in levitate tantùm ſuâ conſtantibus tranſcendentium omnium tranſcendentiſſima levitas, liceat enim ſi loqui non datur, vel ſaltem cum illis rudere. Hanc ut

moris

moris est nominibus falsis res appellare, Philosophiam appellarunt, futilem nempe atque puerilem argutiarum meditationem, nihil ad vitam neque tuendam, neque ordinandam promoventem: in quâ id genus homines consenescunt male feriati, qui & inutile Philosophiæ nomen obtendunt, & quos Philosophos esse vulgus putat. Hinc tot geminatæ & ingeminatæ, imo millies iteratæ querelæ, quibus aures nostras tantùm non obtuderunt, Philosophiam apud Genevenses pedes porrexisse, conclamatum esse, ire jam licere; non quia, quibus aliquid communis sensus superest, ejusmodi quicquam cogniti vel comperti habeant, sed quia vel turpe putant quæ

*Imberbes didicere senes perdenda fateri?*

vel quia ita in patriam reversi referunt adolescentes ignarissimi juxta ac stolidissimi, & ut inscitiam ac stoliditatem superbia comitatur superbissimi, qui quum in scholis suis nihil aut audiverint, aut viderint ex iis quæ in usu habemus, non magis sapere possunt, quàm bene olere qui in coriaria habitant, & qui casiam nostram ac cinnamum præ coriariarum suarum fœtore, nauteam putant. Quo magis stuporem illorum miror, qui hic nati & educati educationem nostram spernentes, in umbraticas illas scholas ingeniis delendis natas juventutem suam mittunt.

Nolim sane collegas meos, viros clarissimos ac doctissimos, in os laudare, sed, *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit,*

*rumpit. Loquar & respirabo paululum, aperiam labia mea & respondebo.* Prodiit non ita pridem ex illorum scholâ juvenis clarissimus, qui in cœtum nostrum ante paucos hosce dies cooptatus vel obstrepenti invidiæ os occludat, ne respondere possit, qui vel inter exteros, quos audivit Philosophos, quod præficisne dictum sit, classem facillimè duxerit. Sed in scholis illis, inquies, magnos in Philosophiâ progressus faciunt. In Philosophiâ, bone Deus! quid audio? Philosophiæ sicut Zethus ille Pacuvianus bellum indicere non decrevi, sed tu dic exiguos, & exiguos admodum progressus, cósque non in Philosophiâ, sed in Eristicâ, sed in Sophisticâ & longè veriùs dixeris; In Sophisticâ, inquam, quæ miseras adolescentium onerat aures, & meliorem ingenii spem in plerisq; tenerioribus adhuc annis, velut in herbâ enecat: in Sophisticâ illâ quâ ætatem in nugis nugerrimis discutiendis conterunt. An Logica sit ars, an scientia, an vero habitus instrumentalis? An conclusio ad syllogismum sit necessaria? An ens in Metaphysica sumatur nominaliter, an participialiter? An totum potestativum connumerandum sit aliis generibus totorum? An ignis elementaris urat, luceat, splendeat, an vero instar oleti, venia sit dicto, in laternâ micantis radiet? & alia id genus monstra, ac propudia, & rerum & verborum, quæ nec ipsi intelligunt qui illa docent. Quid mirum igitur si juvenes ad illam disciplinam eruditi, veluti pestilenti quodam sidere afflati,

quum

quum ad vota properant, cruda adhuc ſtudia in ſuggeſtum propellunt; & nihil aliud quàm ſordes ac fœtores verborum, hiantem compoſitionem, ſententiarum ineptias, atque inconcinnitatem, inconditos ſenſus proferunt. Quæcunque enim à præceptoribus ſuis hauſerunt, omnia à vulgato uſu abhorrent.

Alii non multò meliora in ſcholis ſuis agitant, haud ſecus ac Pericles ille, quum Epitimius Pharſalius quinquertio equum jaculi ictu imprudens interemiſſet, totum diem cum Protagorâ trivit, quærendo quis illius auctor verè habendus eſſet, an Epitimius, an jaculum, an vero agonothetæ. Sed hæc ſunt ludicra, in quibus nihil niſi temporis rei pretioſiſſimæ jacturam, ut ſunt tempora, deflere audeo.

Bene certè cum illis agi crederem, niſi altiùs lues ſerperet, & multa jam loca occupaſſet. S. S. Theologiæ penetralia perrupit hæc Sophiſtica, & illum qui neque terræ, neque maris, neque cœli regionibus terminatur; ſtolidiſſimis rationis humanæ argutiis definire & circumſcribere tentavit. Hi ſunt egregiæ illius, ſi Deo placet, Philoſophiæ fructus. Illius peſtis, quæ noſtra Philoſophia fuit, hactenus Dei gratiâ immunes fuimus, & æquatâ fronte, concordique fræno cucurrimus. Si quis, quod abominor, exoriatur qui concordiam hanc noſtram & conſpirationem labefacere ac diſſolvere tentet, nulla illum piacula reſolvant, publico odio devotum mactetur caput. Uſ-

Uſque adhuc, pro munere mihi legibus injuncto, ſcholæ noſtræ leges & ſcholam commendavi, ſecundùm me, credo, vindicias addicetis, imo addixiſtis. In vos enim & patientiam illam quâ me tamdiu longo nimis ſermone commoda veſtra morantem benignè tuliſtis injurius eſſem, ſi addictionem veſtram in dubium vocarem. Non poſſum ergo lætitiam meam vultu non prodere, quâ totus efferrer, ſi requirenti & oculos circumferenti mihi ſe ſe ſolitus offerret numerus, ſed *P. Prevoſtium*, quem ſemper oculi mei requirunt, hodie præſertim requiro, *P. Prevoſtium* hodie præſertim deſidero, qui gaudium meum moerore mutat, *P. Prevoſtium*, Ordinis noſtri ſingulare decus atque ornamentum, *P. Prevoſtium*, antiquæ fidei, & pietatis, antiquæ ſanctitatis & religionis unicum exemplar. Hunc non ego ſolus requiro, ſed & vos, ſiquid conjicio, ſiquid ſentio mecum requiritis: requiritis, ſed fruſtra. Fuit enim, fuit heu! Ah! quam mallem dicere, EST, ſed revera eſt; quicquid ex *Prevoſtio* amavimus, quicquid mirati ſumus manet, manſurúmque eſt in animis hominum, in æternitate temporum, famâ rerum: Mori neſcit virtus, *Prævoſtius* ſuperſtes eſt & erit.

Noſtrum eſt illius memoriam ſic venerari ut omnia facta, dictáque ejus nobiſcum revolvamus, famamque ac figuram animi magis quàm corporis complectamur, eâdem quâ ille curâ, eodémque ſtudio publicæ utilitati conſulamus,

Deum orantes ut quantum nobis supereſt temporis, id, ſalvis pueris iſtis, traducere liceat in ſtatu Eccleſiæ & Reip. feliciſſimo ἀνδραγαθούντων ἐκείνων καὶ διαδεχομένων ut loquebatur Auguſtus, ſtationem noſtram. In quâ ſupremâ boni ominis voce finio, fauſtiſſima quæque Ampliſſ. Senatui, Reverendo Paſtorum ac Profeſſorum Collegio, omnibus qui cœtum hunc præſentiâ ſuâ honeſtarunt, ac toti denique Reip. à Deo precatus, & ut hoc quod nobis nuper contigit ſit malorum ultimum. DIXI.

---

## ORATIO III.

*Cùm D. C. auſpicaretur Interpretationem Q. Curtii.*

HIſtoricam Profeſſionem cum bono Deo ſuperiorúmque juſſu & auſpiciis iniens, in Hiſtoriæ laudes, quod à me forſitan, Auditores, expectatis, neutiquam ſum deſcenſurus, hæc enim omnia jam vulgata, imo, pervulgata; &

*——— quis aut Euriſthea durum*
*Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?*
*Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?*

Aliam igitur viam tentabo, ac jure tentabo; quum enim rei alicujus laus ab illius merito, meritum vero à rei natura pendeat, Hiſtoriæ laudes meriti notitiam conſequi neceſſe eſt, ac proinde ad finem potiùs rejiciendæ, quàm ad principium revocandæ ſunt.

Sat

Sat erit mihi consilii mei rationem in præsenti aperire, & quam viam insistere in animum meum induxerim vobis exponere. Quædam postea de Scriptore, qui mihi nunc in manus sumitur, subjiciam, ut facilior ad illum studiosæ inventuti aditus pateat.

Historiam nihil aliud esse quàm præcipuarum ac maximè insignium actionum humanarum narrationem, temporum, locorum, caussarum, progressuum ac eventuum notatione distinctam quum satis constet, omnésque actiones humanæ semper in orbem redeant, perpetuúsque sit rerum, temporum ac eventuum in natura circulus, nihilque novi, ut Regum sapientissimus ait, sub sole oriatur, quódque hodie T tio contingit, heri Mævio contigerit, hominúmque, non rerum, fiat mutatio, caussæ & occasiones eædem sint, hominum virtutes ac vitia, ἀποπτύγματα καὶ κατορθώματα, recte vel secus facta, nec cre cant nec imminuantur, sed formarum quadam varietate tantum veluti renoventur, constat utique recentium cum veteribus collatione rerum acquiri, prudentiamne dicam an sapientiam? eámque κακῶν ἀπείρατον, ut egregiè *Diodorus Siculus*, Biblioth. I. I. Qui unicus esse debet historiarum studiosi scopus. Puerorum enim est & indocti vulgi, *cui læva in parte mamillæ nil salit*, in historiarum lectione solam eam spectare delectationem quæ ex eventuum notitia, eorúmque varietate percipitur, At ii *quibus arte benigna*,

*Et meliore luto finxit præcordia Titan*
longè alium sibi scopum quàm ex frigida & jejuna curiositate voluptatem proponunt, utilitatem nempe & rectam rationis informationem, atque ita omne ferunt punctum, utile dulci miscentes.

Rectam rationis informationem dicimus, quia duo sunt quibus vulgo ratio & judicium formantur, firmantúrque, doctrina sc. & experientia. Utramque ex præteritorum notitia indipiscimur. Rerum præteritarum exemplis doctiores, illarum verò cum hodiernis comparatione peritiores fimus. Ac sané qui rerum præteritarum notitiam consequutus fuerit, longè meliùs de præsentibus judicaturus est, longè meliùs illis utetur, longè faciliùs in rem suam vertet, imo rebus futuris, illa præteritis auguratus, longè meliùs prospiciet. Qui rudem verò nullam præteritorum notitiam habet, non solùm in rebus gerendis rudem se ac peregrinum ostendet, sed etiam timidum & meticulosum, raro vel nunquam rerum opportunitates captabit, sæpe metuet decipi, sæpiùs decipietur; siquid illi secus & ex animi sententia contigerit, casui & fortunæ adscribendum, quæ tamen viri sapientis, cui nihil unquam nisi summo consilio, nisi summâ prudentiâ, nisi solerti providentiâ, tentandum, rationibus intervenire neutiquam debent. Unde autem quæso hæc notitia, nisi ab illa quam Oratorum summus *testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram*

*ſtram vitæ, ac nuntiam vetuſtatis* appellavit? In illa ſiquidem hominum quotquot retro ſæculis fuerunt omnium conſilia, machinationes, molitiones, facta, geſtáque ut & varios, miróſque naturæ effectus per totum orbem diffuſos tanquam in ſpeculo videre eſt, in illa ſiquidem omnes civilis regiminis formæ conſpiciuntur, monarchica nempe & tyrannica, ariſtocratica, imo & Anarchiæ exempla.

Fieri ſane nequit, quin hæc ingenium exacuant, ſagacitatémque nobis & perſpicacitatem addant, quò faciliùs nobis, noſtræque Reipublicæ inde quod imitemur capiamus, fœdùm verò incœptu, fœdum exitu, pace bellóque vitemus. Quare ubi quid tale inter legendum inciderit, quod ex uſu noſtro eſſe poſſit, id non ſolùm obſervabimus, ſed & aliorum id genus ſive exemplorum, ſive documentorum collatione illuſtrabimus, ſingulis ſententiis & politicis obſervationibus ab aliis hiſtoricis tum veteribus, tum recentioribus lucem mutuabimur. Mores & ritus gentium populorumque, leges, magiſtratus, origines eò ſtudioſius à nobis explicabuntur, quo non ſolùm conſiliorum, molitionúmque, ſed & eventuum cauſſas inde ut plurimùm pendere magis compertum habemus.

Quum autem & Geographia & Chronologia id in hiſtoriarum lectione ſint quod oculus olim Polyphemo, & tempora annotabimus, & loca exactè ſemper deſcribemus, quò ii qui diſcipli-

næ nostræ committuntur, quique sese nobis addicent, tutiùs possint & firmiùs ingredi, hoc erit quippe illud filum quo cæca regent vestigia & se ab inextricabilibus ambagibus, quibus necessariò implicantur illi, qui hoc subsidii negligentes in historiarum labyrinthum præcipitant, extricabunt.

Qui idem cum Scriptore nostro argumentum tractarunt accuratè à nobis conferentur, quippe qui sibi invicem quandoque facem præferant. Sed ex innumera eorum segete qui de rebus ab Alexandro gestis scripserant ( nam præter *Ptolemæum Lagi filium*, *Clytarchum*, *Dicæarchum*, *Onesicritum*, *Eumenem Cardianum* qui Alexandri expeditionibus comites interfuerunt, historiámque ejus contexuerunt, memorant insuper Plutarchus & Plinius *Polycritum*, *Antigenem*, *Histrum*, *Aristobulum*, *Charetem*, *Isangelum*, *Hecateum Eretriensem*, *Philippum Chalcidensem*, *Durim Samium*, *Diodotum Erythræum*, *Diognetum*, *Bitonem*, *Anaximenem*, *Dorotheum*, *Orthagoram*, *Timagenem*, *Antidamum Heracleopolitem*, *Ephippum & Strattin Olynthios*, *Marsyam Periandri filium*, *Aristum*, *Asclepiadem*, *Nicanorem* qui omnes temporum injuriâ interciderunt ) pauci admodum ad nos pervenerunt. Ex Græcis *Arrianum* solùm, *Diodorum Siculum & Plutarchum* habemus, qui ex professo hanc historiam tractaverint. Nam *Strabonem* & *Aelianum* quod attinet, sparsim tantúm obiter & παρέργως, non autem κατὰ προηγουμένον σκοπὸν ut Simplicius loquitur, res Alexandri gestas

geſtas attigerunt. Ex Latinis ſolus Q. *Curtius*, isque duobus prioribus libris & ſexti principio mutilatus, & aliis aliquot in locis ſatis male habitus in manus noſtras venit. Nam quæ nobis *Iuſtinus* ex *Trogo* reliquit lib. XI. & XII. epitomes ſuæ pauca valde ſunt, & neutiquam cum Curtianis comparanda; Qualiacumque tamen, ſuus illis in collatione dabitur locus.

Paſſim quoque, quia nobis & cum tyronibus res erit,& illuc ſuperiorum juſſa ferunt,philologica interm iſcebimus, vocabula difficiliora, loquendi formulas vel obſcuriores, vel paulo rariores levi & molli brachio non præteribimus, ſed quoad ejus fieri poterit, diligenter explicabimus & ſcriptorum claſſicorum auctoritatibus, illuſtrabimus: locis hiulcis, depravatis & corruptis medicinam quandoque facere tentabimus: Nec ea quæ *Barnabas Briſſonius* in Perſicis huic ſcriptori illuſtrando obſervavit, quæ *Eraſmus*, *Valens Acidalius*, *Popma*, *Joannes Loccenius*, *Ianus Rutgerſius* commentati ſunt, aſpernabimur, ſed ea quæ antehac huc illuc diſiecta quærenda fuerunt, nunc collecta ſub unum intuitum juventuti exhibebimus, ne quis forte nos plagii accuſet, ſi auctoribus non laudatis à nobis illa proferantur. Alios quorum ſtudio, quorum curâ & diligentiâ melior, cultior & nitidior ante aliquot annos prodiit auctor noſter, *Glareanum* nempe, *Modium*, *Raderum* & ſi quis alius huic operi manum admoverit, nobis videre non contigit, nec licuit eſſe tam beatis, id illis relinquendum quibus

*Gratia, fama, valetudo contingit abundè;*
*Et mundus victus, non deficiente crumenâ.*

Nobis quibus alæ jam pridem resectæ sunt, repere sufficiat, si volare non licet. Hac ego viâ progrediar in hoc Scriptore, in cujus expositione si operæ pretium fecisse me sensero, gratique & accepti fuerint labores mei, majoris operis aliquid, Deo dante, postea movebo, & historiæ Catholicæ ab orbe condito ad nostra usque tempora deductæ synopsim exhibebo.

Superest ut aliquid de scriptore nostro subjiciam & cur is à me potissimùm delectus fuerit aperiam. *Curtii* apud Romanos alii fuere patricii, alii plebeii, alii aliis cognominibus insigniti. Sed hæc nihil ad rem nostram. *Curtii Rufi* meminere *Tacitus Plinius* & *Suetonius*. *Tacitus* Annalium XI. in hæc verba: *Nec multo post* Curtius Rufus *eundem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus, quærendis venis argenti. Unde tenuis fructus, nec in longum fuit. At legionibus cum damno labor effodere rivos, quæque in aperto gravia, humum infra moliri, quis subactus miles, & quia plures per Provincias similia tolerabantur, componit occultas literas nomine exercituum precantium Imperatorem, ut quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret. De origine Curtii Rufi, quem gladiatore genitum quidam prodidere, neque falsa promserim, & vera exsequi pudet. Postquam adolevit, sectator Quæstoris cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus secretus agitat, oblata ei species mu-*

*muliebris ultra modum humanum & audita est vox: Tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro Consule venies. Tali omine in spem sublatus: digressúsque in urbem & largitione amicorum, simul acri ingenio, Quæsturam, & mox nobiles inter Candidatos Præturam Principis suffragio assequitur, quum hisce verbis Tiberius dedecus natalium ejus velavisset: Curtius Rufus videtur mihi ex se natus. Longa post hæc senecta, & adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, Consulare imperium, triumphi insignia, ac postremò Africam obtinuit, atque ibi defunctus, fatale præsagium implevit.* Hæc illc à quibus non abhorrent illa *Plinii* Lib. septimi Epist. 27. ad Suram: *Et mihi discendi & tibi docendi facultatem otium præbet. Igitur perquam velim scire esse aliquid phantasmata, & habere propriam figuram, numenque aliquod putes, an inania & vana ex metu nostro imaginem accipere. Ego ut esse credam in primis eò ducor quod audio accidisse Curtio Rufo. Tenuis adhuc & obscurus obtinenti Africam comes hæserat. Inclinato die spatiabatur in porticu; offertur ei mulieris figura humana grandior, pulchriórque: perterrito, Africam se futurorum prænuntiam dixit. Iturum enim Romam, honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem provinciam reversurum, ibique moriturum: Facta sunt omnia. Præterea accedenti Carthaginem, egredientíque navem, eadem figura in littore occurrisse narratur. Ipse certè implicitus morbo futura præteritis, adversa secundis auguratus, spem salutis, nullo suorum desperante, projecit.* Index Rhetorum præfixus

*Suetonii*

*Suetonii* libello de *claris* Rhetoribus *L. Cestio Pio &* *Marco Porcio Latroni* quorum ille anno Augusti XXXI hic XL vixit *Q. Curtium Rufum* subjungit.

Penè exciderat & *Q. Curtii* mentionem fieri apud *Ciceronem*, sed non addito cognomine *Rufi*, sic ille ad Q. fratrem l. 3. *A. Q. Curtio bono & erudito adolescente Memmius de ambitu postulatus est.* Sanè hic cujus *Cicero* meminit, non est *Curtius* ille *Rufus* quem Tiberius ex se natum appellabat. An idem sit cum *Q. Curtio Rufo Suetonii*, ut non liquet, sic præfractè negare nolim; utrumque enim Rhetorem esse video, tamen in eam potiùs sententiam inclino ut diversos esse credam. Nam si historia hæc rerum ab Alexandro gestarum non *Curtio Rufo* qui Africam obtinuit, sed alii adscribenda est, non utique Q. Curtio Ciceronis adscribi potest. Obstant enim illa quæ libro x sub finem habentur *Sed jam fatis admovebantur Macedonum genti bella civilia. Nam & insociabile est regnum & à pluribus expetebatur. Primùm ergo collegere vires, deinde disperserunt, & quum pluribus corpus quàm caperet onerassent, cætera membra deficere cœperunt: quôdque imperium sub uno stare potuisset, dum à pluribus sustinetur, ruit. Proinde jure meritóque populus Romanus salutem se Principi suo debere profitetur, cui noctis, quam penè supremam habuimus, novum sidus illuxit. Hujus, Hercule, non solis ortus, lucem caliganti reddidit mundo, quum sine suo capite discordia membra trepidarent. Quot ille tum extinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempestatem subitâ sereni-*

*tate*

*tate discussit. Non ergo reviviscit solùm, sed etiam floret imperium. Absit modò invidia, excipiet hujus saculi tempora ejusdem domus, utinam perpetua, certe diuturna posteritas.* Hæc enim quum à quibusdam ad *Claudii*, ab aliis ad *Vespasiani*, à cæteris denique ad *Nervæ* ac *Trajani* tempora referantur, ad illa *pervenire neutiquam* potuit *Curtius Ciceronis* qui *Memmium* anno ab Urbe Condita DCLXXXIX de ambitu postulavit, quum Gabinius ex Syria in Italiam rediens noctu urbem ingressus *est*, à quo tempore ad Cæsaris obitum intercessere decem anni, obiit enim anno A. V. C. DCCIX *die* XV Martii. Inde ad excessum Augusti effluxere LVII anni, menses VI, dies IV, quibus adde XXII annos, menses VI, dies XXVI quibus imperavit Tiberius exurgunt anni XC. Sed quum Memmium postulavit, annorum ad minimum fuisse oportet XVIII vel XX, ut qui bonus & eruditus adolescens à Cicerone vocetur, quos si ad XC addideris fient CX, ita ut Caligulam attigisse vix credi possit, nedum ut vel Claudii, vel Vespasiani, vel denique Nervæ temporibus floruerit; quanquam non dissimulabo in quamplurimis MSS. apud Ciceronem legi, non, à Q. Curtio, sed, à Q. Acutio.

Hoc igitur *Curtio* secedere & aliò migrare jusso, ad Taciti & Suetonii duos *Curtios* res devolvitur. Quæritúrque rursus an duo illi unus idémque sint, an veró diversi. Diversos censeant oportet qui verba illa *Curtii* quæ de Romana Rep. protu-

limus

limus, vel ad Vespasiani, vel ad Nervæ & Trajani, tempora referunt, ut faciunt *Ianus Rutgersius Variarum lectionum* l. 1. & *Joh. Isacius Pontanus* in epistolis suis ad *Vossium*, ut ad quorum gustum non faciat *Barnabæ Brissonii* & *Lipsii* sententia quorum ille lib. 1. *de Regno Persarum Curtium* Taciti & Suetonii unum eundemque esse, verbaque illa ad Claudii tempora referenda esse censet, siquidem post Caii cædem, per biduum de mutando Reip. statu, adserendaque communi libertate, hæsitatum fuerit, ut ex *Suetonio in Claudio* cap. 10. & *Josepho* l. 19. antiquit. c. 2. & 3. videre est; Senatu verò segniore in exequendis conatibus per tædium ac dissensionem diversa censentium, & multitudine quæ circumstabat, rectorem unum & nominatim Claudium exposcente, imperium ei stabilitum atque firmatum fuerit. Jn cujus sententiam pedibus, manibusque descendo, nec me movent vel Rutgersii vel Pontani rationes. Senatores, plebs, milites inter se dissentientes (illis imperium Claudio abrogantibus, istis verò stabilientibus) sunt illa sine suo capite discordia membra & trepidantia. Nec enim hæc de Galba, Othone & Vitellio dici possunt, qui ipsi capita fuere, non verò membra sine suo capite & ideò in Cæsarum album relati, qui singuli seorsim, non simul imperium sustinuerunt, multò minùs ad Calphurnii Crassi, Aelianique & aliorum in Nervam conjurationem referenda sunt. Non enim erant illi membra discordia & trepidantia sine capite, sed membra potiùs con-

cor-

cordia & in caput suum conspirantia. Jam verò si in illa de Reipublicæ statu mutando consultatione, Senatus pertinaciter nimis plebi & militibus reluctatus esset, annon iterum in bellum civile prolapsa foret res Romana. Annon imperium quod sub uno antea steterat, & postea stetit, tunc corruisset, ut pote quod plures simul, Senatores nempe, ut in libero Reip. statu, sustinuissent: *Has ergo faces, hos gladios, hanc tempestatem, extinxit, condidit, & subita serenitate discussit* Claudius.

Sed quî, inquies, extinxit faces quæ nondum accensæ erant, quî gladios nondum exertos condidit, quî tempestatem nondum coortam discussit; sanè quum in eo essent ut accenderentur, ut exererentur, ut coorirentur, nisi imperium Claudio delatum foret, meritò extinxisse, condidisse, discussisse Claudius dicitur.

Fac tamen hæc illi minùs convenire, annon hæc scribentis ingenio æstimanda sunt? Hæc scripsit *Curtius Rufus adversus superiores tristi adulatione nobilis*; Non est itaque vis facienda verbis quæ vel vota continent, vel sunt metaphorica. Imò illa metaphorica, siquis urgere velit, mecum facient. *Novum illud sidus, cujus ortus lucem caliganti reddidit mundo* nullus alius est, nec esse potest quàm Claudius. Nolo mihi fidem, sed *Senecæ*, quo meliorem interpretem habere non possumus, adhiberi. Sic ille, geminis pæne cum scriptore nostro verbis de hoc ipso *Claudio* lib. 1. Consol. ad Polyb. *Patere quicquid prioris furor concussit, in locum*

*locum suum restituere ac reponere. Sidus hoc, quod præcipitato in profundum ac demerso in tenebras orbi refulsit, perluceat.* Præterea in indice Suetoniano *Q. Curtius Rufus* longo ordine ponitur ante M. Fabium Quintilianum qui jam ævo Claudiano, quanquam juvenis admodum, ut ipse de se Instit. 8. c. 3. testatur, vivebat. Sic ævum suum Curtio, ex jure manum conserentes, vindicavimus.

Ac sane stylus, purus, tersus, politus ac elegans quo utitur Tiberii potiùs quàm Vespasiani, aut Nervæ sæculum resipit. *Erasmus* in *Ciceroniano* sive de optimo genere dicendi, cæteris candidiorem quidem esse fatetur, sed nihil tamen ad Parmenonis suem, quum multas sermonis formulas à Ciceronianis diversas habeat, sed mirum utique non est, si quandoque bonus dormitat Homerus. Vel mendosis exemplaribus usum fuisse necesse est *Erasmum*, vel imaginosum patiebatur, quum tale ferret judicium. Nihil enim quod vel purissimo sæculo dignum, imò dignissimum non fuerit, elegantissimo Scriptori excidit, ut inter exponendum si usus venerit ostendemus: si quid secus visum fuerit, id exscriptorum vitio totum debetur acceptum.

Ut vero purè ac Latinè scripsit, sic non minùs doctè ac verè. Principis enim exteri & ante multa sæcula fato functi, sibi proinde nec beneficio, nec injuriâ cogniti historiam aggressus, temperamentum illud sequutus est, ut sine ira & studio,

quo-

quorum caussas procul habuit, scripsisse nemo non agnoscat. Quum enim Græci vel jactantiâ, vel, assentandi libidine multa verum excedentia, & secus quam par erat, scripsissent, illa vel prudenter omisit, vel nequid memoratu dignum prætermisisse videretur, dubiæ & sublestæ fidei esse monuit. Vitia & virtutes Alexandri ex æquo descripsit, laudans & commendans, ubi laudari. commendarívė meruit, reprehendens ubi reprehendi.

Prudentiam civilem quod attinet, quamvis Alexander nihil nisi bella,tot támque variis sententiis ac documentis historiam suam respersit, ut hac in parte Historicorum nulli posthabendus,imò multis in eo præferendus sit, quòd hæc non aliunde accersantur, sed ex ipsa quam narrat historia, naturaliter fluant. Si de re quapiam judicium ferat, bone Deus! quàm acutum illud, quàm apertum, quàm candidum! si vel personam, vel exercitum, vel locum aliquem describat, quàm eleganter & accuratè, Apellem crederes, Zeuxim vel Parrhasium qui rem ipsam contemplandam exhibere, & oculis ipsis offerre studuerit. Si facilitatem, si facundiam requiras, majorem alibi haud facilè reperias.

Tot igitur, tantisque politissimi Scriptoris virtutibus adductus, illum præ cæteris delegi quem studiosæ juventuti tanquam probi & legitimi Historici, numerisque omnibus absoluti exemplum proponerem, & in cujus expositione bonarum literarum gustum aliquem illi moverem.

Nam

hodie apud vos, sed graviſſimorum, nefandorúmque criminum reum facio, Quid ſeveritudine frons vobis caperat? quid ad Homeri nomen cohorreſcitis? Omnino neceſſe habeo, antequàm dicere incipio, unum à vobis, Auditores, poſtulare nequid huic cauſſæ præjudicati afferatis, ne ſine ratione valeat auctoritas. Opinio ſacer eſt morbus, opinione præjudicatâ obſcurari & contegi veritas rerum ſolet, ſi quam igitur opinionem mentibus veſtris comprehendiſtis, ſi eam ratio convellet, ſi communis ſenſus labefactabit, ſi denique veritas extorquebit, ne repugnetis, eámque animis veſtris, aut libentibus, aut æquis remittite. Contentionis ſtudium removete, & an ſit iſtud quod dicitur verum, momentorum parium examinatione pendite; quod vafer ille Venuſinus olim de Plauto.

*At noſtri proavi Plautinos & numeros &*
*Laudavere ſales, nimium patienter utrúmque,*
*Ne dicam ſtultè,*

aptiſſimè in Homeri Rapſodias quadrat, quas nimium patienter, ne dicam ſtultè, olim laudavere Veteres, atque hodie laudant Veterum admiratores. Sed quid admirationis habeant, nullâ poſſum augurari conjecturâ; ſive per ſacra, ſive per profana, ſive per naturalen, ſive per moralem iveris Philoſophiam ὀυδὲν ὑγιὲς, omnia putida, rancida, impura & impia. Si artem quæras & admirabilem grandium, exquiſitorúmque, qui animos faſcinet, verborum contextum, falleris, omnia ridicula, abſurda, & ἀπροσδιόνυσα; ſi vi-

epitheta sugillans, ὑπερείδειν τὸ πίπτον τοῦ μέτρου καὶ ἀναπληροῦν τὸ κεχηνὸς τοῦ ῥυθμοῦ, *carminis ruinam fulcire, metrique hiatum implere*, vel si mitior placuerit sententia τοῖς ῥήμασι διάνοιαν ἐφαρμόσαι, non verba rebus, sed res ipsas verbis submittere. Quo vitio cum Lexiphane non pauci hodie laborant, qui in damno ponunt & deputant si nulla sese voculæ alicujus, vel sententiolæ vel historiolæ arridentis, quamvis minimè necessariæ & ad rem nihil facientis in orationis suæ seriem inferciendæ & intrudendæ via aperiat, quæ est prurigo stolidæ gentis illius quæ, pro innata superbia, fatale Reip. literariæ Palladium apud se asservari credit.

Iliados decimo quarto, Juno Gratiarum unam Somno pollicita, non ut Virgiliana Juno, modestè, verecundè & matronæ in morem, *Conjugio jungam stabili propriamque dicabo*, sed veluti è prostibulo læna, honos vestris auribus habitus sit, nupto & prætextato vocabulo δώσω ὀπυιέμεναι.

Alibi dum totis viribus utrinque pugnatur,& pro se quisque id quod quisque potest & valet edit, ferro ferit, tela frangunt; boat cælum fremitu virum, ex spiritu atque anhelitu nebula constat, cadunt vulneris vi & virium, & quæ pugnatur pugna ad meridiem usque pugnatur, Hector Cebriona capite, Patroclus pede prehensum trahunt, nec pugnant. Aeneas cum Achille non solùm irato, sed etiam insano longâ & tædiosâ nugatur oratione, generis sui seriem à capite ad calcem recenset; de equabus suis fabulas narrat aniles, hæc

Achille patienter audiente. Illis enim inter medias cædes tam otiosè garrire licebat, præſertim Homericis præliis, quæ ipſe quum nulla vidiſſet, ad cyathum formabat; pluſculum enim ſeſe bonus ille vir invitare ſolebat, ut bene odoratus eſt Poëtarum ſagaciſſimus: *Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus*; & ubi flos veteris vini cerebrum perreptaverat, tunc ad arma proſiliebat dicenda & mira, mira miranda canebat, *Nam miranda canunt, ſed non credenda poetæ.* Nec in miris illis, mirum quicquam; in Jthaca ſiquidem & Chio ſoculo aſſidens & ſubinde pitiſſans ab agreſtibus & aniculis fabellas edocebatur, quas poſtea metri legibus alligatas vicatim ſtipis cogendæ cauſſâ obambulans cantillabat, unde Rapſodi nomen meruit, quod genus hominum Majores noſtri olim quoque in vernacula ſua admirati, & *Jongleurs*, *Chanterres*, *Trouverres* indigitare ſoliti ſunt.

Si tu forte orationem quâ Phænix Achillem Agamemnoni infenſum placare parat in manus ſumſeris, neſcio an nauſeam inhibere poteris, ſanè animus dolet quotieſcunque jejunus lego. Verùm quia hora diei ſera eſt & ab omni jam abſumus periculo, lepidâ narratione aures veſtras demulcebo; Tu mi Achillule, inquit, audi quæſo, non te decet in mei gratiam iram ponere? qui tot labores & ærumnas, ut in virum fortem & generoſum evaderes, pertuli? qui te puerum fovi? qui panem præmanſum & vinum ingeſſi, euſque ut eructans & vomens gremium mihi & veſtem impleres.

πολ-

πολλάκι μοι κατέδευσας ἐπὶ στήθεσι χιτῶνα
οἴνου ἐπιβλύζων ἐν νηπιέῃ ἀλεγεινῇ

Unâ profectò, eâdemque operâ addere debuit, puerile fecisse officium & conquiniscendo alvi exoneratione togam inquinasse, quidni enim & hoc recensere potuit? alterum enim altero magis non fætet. Nec hæ nugæ, hæ sordes, sordes nugaces & nugæ sordidæ apud nostrum sunt raræ, magnisque intervallis præliantur, sed confertim densatisque scutis legentes excipiunt; sed nos irruamus & impetum in mediam aciem perferamus.

Græculi Homerum scientiarum omnium patrem, ad raucam usque ravim nobis ingerunt. Videamus ergo quantus & quàm egregius sit Philosophus & quam naturæ arcana solertiâ suâ penetrarit. Virgilius ex Philosophiæ veritate loquutus clamorem umbris ademit, *Clamor*, inquit ille, *frustratur hiantes*, noster non stridorem solum sed & vocem illis attribuit.

Scamandro in Achillem furente atque æstuante, verita Juno ne violentis fluvii vorticibus præceps abriperetur, ad solitas confugit artes. Vulcani auxilium implorat, qui ne maternâ excideret gratiâ, ignem fluvio injicit, cujus vi indomitâ arbores ad ripam consitæ in cineres rediguntur, pisces, quibus pinnæ ad fugam veloces satis non fuere, absque sale, vino, pipere & butyro elixantur, aquæ torrentur & in sicco alveus destituitur; mirum profectò genus aquarum quæ ignem concipiant, nedum ut incendium restin-

 guant!

guant! Sed hæc ludicra ſunt & jocularia, nugis inſaniam & deliramentum connectit, fervebant, inquit, quæ nec poterant fluere: ζέε δ᾽ ὕδωρ, οὐδ᾽ ἔθελε προρέειν; ſanè tu ea, mi Homere, blateras quæ neque ſunt, neque fuerunt, neque futura ſunt, quæ nemo unquam homo antehac vidit, quæ neque fieri poſſunt, neque fando unquam accepit quiſquam, ut aqua fervens fluere nequeat. Imò tunc maximè movetur, tunc maximè diffluit ubi fervet, liquores quippe omnes ignem perinde atque vaſtatorem fugiunt. Si olei aliquantum, ut ait Cæſar Scaliger in Critico, ſuper tabulam mittatur, atque in medio ejus carbo accenſus imponatur, oleum, qui tamen liquor omnium facillimè ignem concipit, illico diffugere, diffundereque ſeſe atque dilatare videbis.

Sed nihil magnoperè ſtupendum in eo homine qui Boream & Zephyrum ab eadem plaga ſpirantes facit, & per Thraciam in Græciam deducit, cui Occidens eſt Septentrio, cui Septentrio eſt Occidens; qui hominibus novem cubita craſſis, novem ulnarum proceritatem aſſignat, admirabilem ſanè proportionem & ſymmetriam! & eo viro dignam qui Helenam belli Trojani temporibus puellam nobis & delitias adhuc facientem inducit, quam tunc oportuit Carmentâ ſeniorem eſſe & Sibyllâ Cumæâ rugoſiorem, ut quæ olim à Theſeo penè puero, cujus antiquam familiaritatem Iliados primo collaudat Neſtor, rapta, muliebris jam tum patientiæ legem ferre didicerat. Illam, inquit Oenone ad Paridem. *Illam*

*Illam de patria Theseus ( nisi nomine fallor )*
*Nescio quis Theseus abstulit arte suâ.*
*A juvene & cupido credatur reddita virgo?*

Si creditur, male creditur, Iphigeniam siquidem referente Pausaniâ,ex Theseo concepit Helena & Argis enixa est, quam Clytemnestra, ne soror cum ignominia & dedecore innupta maneret, sibi suppositam pro sua educavit. Itaque belli Troiani tempore octogenariam,vel minimùm septuagenariam esse decuit, cujus anachronismi vitandi gratiâ, aliam quàm raptum Helenæ belli Troiani caussam quidam commenti sunt.

Sed omnia nostro licent, apud quem equi ipsi loquuntur & Xanthus πόδας αἰόλος ἵππος instantem Achilli morten vaticinatur, quæ sanè sunt monstra & *portenta versificata*, ut aiebat Lucilius; Si mores & civilem consuetudinem, disciplinámve spectes, túne cum insana Græculorum colluvie virtutis & justitiæ, moderationis & temperantiæ, pietatis & castitatis hic exempla requiras? Oporteret te dubio procul intemperiis agitatum pro cerrito circumferri,qui castos & castigatos mores,qui innocentiæ, continentiæ, disciplinæ exemplum ab illo expectares qui Heroas & Deorum filios insanos, feroces, Deorum, hominumque contemtores, helluones, gurgites, voragines, non laudi, non gloriæ, sed abdomini natos, voluptarios, libidinosos & pessimis, perturbatis atque incompositis affectibus obnoxios in scenam producit.

Sed mihi videmini, Auditores, mihi nunc, inquam, videmini hujuſcemodi murmuribus, hujuſcemodi ſuſurris teneras autres perſtringere,

*ceu flamina prima*
*Quum deprenſa fremunt ſylvis & cæca volutant*
*Murmura venturos nautis prodentia ventos.*

Bona verba, quæſo, mi homule, Bona verba mi Puſio, mi Puſille Puſio, Tu nobis Mæonidem miſeris atque indignis obtruncas modis, tu nobis illum Echeti in morem ita decurtas & μασχαλίζεις, ut vix agnoſcamus,

*lacerum crudeliter ora.*
*Ora manusque ambas, populataque tempora raptis*
*Auribus & truncas inhoneſto vulnere nares.*

ut vix, inquam, agnoſcamus *pavitantem & dira tegentem ſupplicia*, vide ne te Zoili illius ſupplicium maneat quem Homeromaſtiga appellavit Antiquitas, & quem de Scironiis ſaxis deturbarunt Olympicorum ſpectatores ὅτι ἐπέσκωπτεν ὅμηρον, quod Homerum ludibrio habuiſſet.

Si defunctos ab inferis revocare cum Homero in Ulyſſea, cum Mithrobazane in Luciani νεκυομαντεία cum anu Ægyptiâ Heliodori Æthiopicorum 6. didiciſſemus, longè aliter garriret Zoilus atque Græculi eſurientes. Oratorem enim inſignem & Philoſophum fuiſſe perhibent, virum cordatum, ſed qui parum cordatos nactus fuerit auditores. Ponite ergo, & *placida premat æquora ventus, Accipite, inquam, animis atque hæc mea figite dicta.* Statim ab initio egregii illius Operis Agamemnon

non & Achilles sese mutuis conviciis proscindunt, nullâ personarum, nullâ loci, nullâ decori habitâ ratione, Achilles quidem sapientis illius Minervæ consilium sequutus, quæ ne res ad manus deveniret his illum rationibus demulserat, *Noli, noli, mi Achilles, gladium è vagina educere, quin tu potiùs illum conviciis consectare.* Dictum, factum. Vir sapiens Dearum sapienti morem gerens in hæc lepida erumpit οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο, *ebriose, canis, timidissime nebulo* & alia id genus orationis pigmenta, quibus cum perditissima quaque lachanopolide certare videtur. Ac sanè alibi Æneas post multa temerè & stolidè effutita, conviciorum plaustris certandum esse negat. Non conviciis, inquit, quibus ferendis ne centum quidem transtrorum navis sufficeret, sed virtute dimicandum est, *ferro non verbis vitam cernamus utrique.*

Hic idem Achilles, ille Deæ & Pelei viri moderatissimi & à Jove tertii filius, Chironis sapientissimi præceptoris alumnus, divinus ille heros muliebriter ejulat, de latere in latus humi volvitur, pulvere & stercore sese fœdat, modó huc, modò illuc quasi mente captus excurrit, Apollini maledicit, & ultionem si facultas dari posset, minatur, Sperchio comam dicatam Patroclo non sine sacrilegio offert, sordidum, avarum, pecuniæ supra modum cupidum se ostendit, adeò ut sapientissimus Plato in libris de Rep. miretur illum, ἔχειν ἐν αὐτῷ νοσήματα δύο ἐναντίω ἀλ-

ἀλλήλοιν ἀνελευθερίαν μετὰ φιλοχρηματίας καὶ αὖ ὑπερηφανίαν θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων, *duobus gravissimis, iisque contrariis morbis laborare, illiberalitate & sordido pecuniarum amore, cum Deorum hominumque contemtu.* Quid? quod fortissimo illi suo heroi, non ut Virgilius generoso Euryalo τὴν ὑπεροψίαν τῆς ζωῆς.

*Est hic, est animus lucis contemtor & istum*
*Qui vitâ bene credat emi quò tendis honorem,*

sed turpissimi, atque ignavissimi lixæ vitam cum infamia & dedecore conjunctam famâ atque honore potiorem ducentis mentem affingit.

βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη.
Ἢ πᾶσι νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

*Malim*, inquit ille, *vel mendico cui neque servus sit, neque arca, nec cimex, neque araneus, neque ignis inservire atque famulari, quàm omnibus vita cassis cum summo imperio praeesse*, neque injuriâ, præstat enim utique *Ambulare per tabernas, Latitare per popinas, Culices pati rotundos*, quam lupinos in Erebo rodere. Nam quod ait ille, honesta mors vitam sæpe turpem exornat, contra vita turpis ne morti quidem honestæ locum relinquit, nugæ sunt nugerrimæ & à quibus heroës Homerici abhorrent.

Sed videamus an quem nobis tanquam perfectam & accuratam sapientiæ ideam proposuit, mortalium ille prudentissimus & catissimus Ulysses furioso illo Thessalo sapientiùs loquatur, sic ille apud Alcinoum verba facturus orationem

au-

auspicatur, *Præstantissime & justissime Imperator, res mihi longè pulcherrima videtur mensæ pane, vino, carnibus, aliisque dapibus exstructæ accumbere.* Audire mihi videor Hercle Curculionem illum cui lippiunt fauces fame, cui genua inediâ succidunt, qui pernam, abdomen, sumen, suis glandium, non solùm in patinis & lancibus, sed in ipso adhuc carnario inexplebili atque insatiabili aviditate devorare gestit, nobili hac sententiâ latranti blandientem stomacho, *Hæc sunt ventri stabilimenta panis & assa bubula, poculum grande, aula magna, ut satis consilia suppetant*, edacem illum Ergasilum qui per sanctam saturitatem Deorum, Dearumque sibi omnium carissimam jurat; imò potiùs illustrem illum Stasimum in Trinummo, qui felicitatis puppim ac proram in ventris expletione collocat, cui mensa est Senatus, cui res divinæ & humanæ est Esca, qui omnibus de via, de semita, de honore populi, verùm quod ad ventrem attinet, nemini ne latum quidem unguem decedit, nemini concedit quicquam de vita sua, qui vocatus, imò invocatus edit, atque ambabus malis expletis vorat, & quod vocanti placet præripit potissimúm, verecundari quippe neminem apud mensam decet, nam ibi de divinis atque humanis cernitur.

Hæc tam ridicula, tam absurda, tam absona, imò & perniciosa judicavit Plato in libris de Republ. ut omninò expungenda censeat. Lucianus hinc ansam arripit in Parasito suo Heroas Homericos tanquam parasitos insectandi atque fœdissimi

ſimi vitii crimine arceſſendi. Sed hæc adhuc aurea ſunt, præquam ea quæ mox ſubjecturi ſumus.

Quis divinitatem ſacrilego auſu primus diſtraxit, & plures Deos commentus eſt? Homerus. Quis ridicula, obſcæna, infanda, turpia, infamia de Diis ſuis prodidit? Homerus. Quis rixas, pugnas, comeſſationes, compotationes, furta, adulteria Deorum, Dearúmque cecinit? Homerus. Ille nobis Jovem & Junonem perpetuis contendentes jurgiis inducit, hanc moroſam, querulam, ſuſpicacem, illum ebrioſum, libidinoſum, violentum, tyrannum, qui omnia uxore invitâ atque adeo illius ingratiis ſemper agat, qui nihil omnino penſi habeat, dummodo quod animo collubitum eſt ſuo faciat, qui ſi quando cum uxore in gratiam redit, libidini fræna laxat & cum illa tanquam cum meretrice conſueſcit, ita ut vel perditiſſimos Cynicos impudicâ ſuperet impudentiâ? Quid ille quæſo Iliados. 14. de Jove & Junone in ſummis Idæ verticibus? ſed illa me pudor meus dicere vetat, ſi cui vacat Platonis ea de re judicium de Rep. 3. conſulat. Quid Veneris & Martis adulteria referam? Quid fratrum & ſororum nuptias? Quid raptus? Quid furta? cæteráſque Deorum Homericorum virtutes, quas Menippus in νεκυομαντίᾳ ſibi juveni impoſuiſſe dicit, πάντα ταῦτα, inquit, ἡγούμην εἶ) καλὰ καὶ ἐ παρέργως ἐκινέμην πρὸς αὐτά, *hæc omnia pulchra & laudabilia arbitrabar, nec perfunctoriè illis afficiebar*, ut qui Deorum exempla imitari atque

que exprimere honestum ducerem. Iliados 2. Dii, Deæque omnes, & majores illi qui Consentes, & Semones, minuti, patellarii, ubi per integram & solidam diem à solis ortu ad occasum perpotassent, somno tandem opprimuntur. Meliùs ille apud Plautum Sosiæ ex Homeri sententia dicenti, *Credo edepol equidem dormire solem atque appotum probe*, *Mira sunt*, *nisi invitavit sese in cœna plusculum*: Melius, inquam, respondet; *Ain vero verbero Deos esse tui similes putas?* sed Seplasiarius ille veritatis Deos dormientes, nihil audientes, aut scientes nisi per nuntios, aut quæ sub oculis habent; mentientes, nec sibi ipsis constantes, ridentes, cachinnantes, flentes, ejulantes, mortalium injuriis obnoxios, opis humanæ indigos nobis persuadere nititur. Quæ singula exemplis illustrare si vellem me dies citiùs quàm oratio deficeret, adde quòd patientia vestra abuti religio est.

Apud illum primus motor finitus est & circumscriptus, sedens seorsim ab aliis ἐν ἀκροτάτῃ κορυφῇ, in summo Olympi vertice. Apud illum primus motor dormit & somni imperio subest, Irim à Junone ad Achillem clanculum missam Deus omnium non videt, quum Thetis è profundo maris audiat filium in tentoriis flentem. Sol quem alii Poëtæ omnia videntem & audientem faciunt, quem nemo fallere potest, Ulyssis socios boves suas mactantes & vorantes videre nequit, glaucomam misero illi ob oculos dubio procul objectam esse, nec Pæana qni collyrium apponeret maturè consulu-

fuluiſſe oportuit, alioquin audaculos fures ſummō-yiſſet, nec boum jacturam feciſſet.

Sed quis tandem modus nugis, quis blaſphemis ineptiis? Mirum ſanè non eſt eruditorum Principes, jam inde ab omni ævo, impurum & ſtolidum faſtidiiſſe ſcriptorem. Illum divinus Plato è civitatis ſuæ finibus olim expellendum, ejiciendum, exterminandum cenſuit, illiúſque cauſſa toti poëtarum generi infenſum ſe exhibuit. Illum Philoſophus acutiſſimus variis variæ eruditionis Dialogis nobilitatus ubique perſtringit, Heſiodúmque illi non obſcurè in libris de vera hiſtoria præponit. *Omnibus poëtis*, inquit ille non ſine ſcommate, *citra controverſiam antiſtabat Homerus, vicit tamen Heſiodus.* Illum magnus ille Julius Cæſar Scaliger Poetices libro ſexto ita graphicè nobis exornavit, tam bonis, tam vividis & nativis depinxit coloribus, ut nemini ampliùs niſi ſpontaneam & Homericam cæcitatem affectanti, fucum facere poſſit.

Atque hic ille eſt generoſus Homerus, Chius, Smyrnæus, Rhodius, Colophonius, Athenienſis, Salaminius, Babylonius, Ægyptius & ſi quid aliud mendax deliravit Græcia, monſtrum revera hominis, qui tot jactare poſſit patrias, quum unica & unicuique olim & nobis hodie ſatis ſit. Verùm enim verò illud mihi in mentem fuit, matrem quæ corpore mereretur, quæſtûs uberioris faciendi gratiâ, omnia illa loca, vel pleraque certe obiiſſe, ita ut filium pro nata occaſione

ſione modò Chium, modò Smyrnæum, modò Rhodium, modò ſi placet, Æthiopem finxerit, ille verò diligenter ſibi à patriæ mentione caverit.

Atque hic ille eſt generoſus Homerus, quem omnis ſapientiæ divinæ, atque humanæ, omnium ſcientiarum patrem jactavit *Græcia*.

*ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα*
*καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ ῥέουσιν.*

Quin potiùs omnis impietatis patrem dicimus, ex quo quicquid ſtolidi, quicquid ridiculi, quicquid impuri, quicquid impii, quicquid mendacis apud Græcos præſertim, ſed & apud Latinos extitit, originem duxit.

Nihil unquam tam infandum quicquam ſomniavit aliquis ægrotus, quin dixerit aliquis Philoſophus, & nihil unquam tam infandum, tam putidum quicquam dixit aliquis philoſophus, quin Homerum inſaniæ ſuæ auctorem laudarit. Helleboroſus ille Anaxagoras qui cælum ex lapidibus concretum, qui ſolem molam ignitam eſſe Peloponneſo majorem, qui lunam habitationibus, collibus, ſpeluncis refertam eſſe credidit, quum virtutis & juſtitiæ ſcientiam profiteretur, Homeri ſe veſtigiis inſiſtere dicebat, quidni? ut cujus in Phyſicis præceptor Metrodorus omnem rei naturalis hiſtoriam inde hauriendam ſibi perſuaderet. Ab illo Sceptici imaginoſum ſoliti, hæreſeos ſuæ principium ducunt. Illum Corybantes illi Stoici *ἀπαθείας* ſuæ principem faciunt. Ad illum ſophiſtarum Coryphæus Protagoras ſophiſti-

ſticen retulit. Illum incantatores, venefici, præſtigiatores doctorem agnoſcunt. Illi tanquam ſummo ſacrorum præfecto omnis Ethnica Theologia & *ματαιολογία ſummisſis defert faſcibus imperium.*

Sed qui id fieri poteſt, inquies? tuúmne unius & pueri judicium, acri & ſubtili tot virorum doctorum, qui continuis Meleſigenem laudibus onerant, judicio præferetur? Qui Homerum laudant viri docti vel neoterici ſunt, vel priſci ſcriptores. Neoterici ſibi ſcientes prudentes ad ſecus ſentientium monita aures plerumque occludunt,

*Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi ducunt,*
*Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ*
*Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.*

Alii Homerum, quia Græcorum antiquiſſimum, magni faciunt, virtutem annis æſtimant, & nihil mirantur *niſi quod Libitina ſacravit* Veteres qui illum laudarunt, vel iiſdem quibus nos vitiis laborarunt, vel ut plurimum Grammatici fuerunt, & Grammatici Grammaticum ſapientes, pro innata pædagogis confidentia, Homerum laudibus ad cælum uſque evexerunt.

*Quidni? & ſcruta equidem ut vendat ſcrutarius laudat.*
*Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbus dimidiatam.*

Sed nos, quibus veritas omni auctoritate valentior, & quibus purioris & ſagacioris rationis uſum ille rerum opifex conceſſit, præſtat paucis ac ſapientibus eſſe probatos quàm in ſtultorum acie

prin-

principes principem locum obtinere. Paucula hæc ex fertili, læta & luxurianti segete habui nunc resecanda, quæ vobis tanquam primitias, majoris operis specimen, offero. Si quid à me secus quàm oporteret, dictum, parcite & obtemperaturum monete; si vero placui, plaudite & cantharo mulsum date. Dixi.

## ORATIO V.

*Comparatio Studiorum cum Militia*

Quicunque ille fuit, Auditores, qui primus literas armis, studiosam juventutem militibus, scholas castris comparavit, ingenii apprime subacti hominem fuisse oportet. Quanquam enim, si quid uspiam in rerum naturâ, toto cœlo differre videantur toga & sagum, non est tamen ovum ovo, lac lacti similius quàm hæc duo sibi sunt invicem, si pressiùs pensiculentur. Nominum, & quæ hanc ferè sequitur rerum communio, id satis evincit. Inter Artem & Martem ὀ πολὺ τὸ μέσον. Utrobique castra, utrobique militia & commilitones, ordines, classes, disciplina. Iisdem utraque & stant virtutibus, & vitiis cadunt. Iisdem utrobique ascenditur gradibus: Et illic & istic nomen datur ac tyrocinii rudimenta deponuntur. Patientiâ, labore, exercitio, assiduitate, continentiâ, æmulatione & obsequio multo opus est ut ad summum utriusque culmen evadas, quæ singula attingere nunc animus est,

ſed illis leviter & in tranſitu expoſitis, in obſequio ac obedientia diutiùs paullo immorabimur.

Dabitis veniam ſi quid minus aptè & commodè dixerimus; ab annis noſtris ſpectanda ſunt ea quæ ferimus, non enim adeò grandes ferre ſolet fructus arbor novella atque vetula & annoſa. Et nos quoque olim, cum Deo, majora dabimus.

Promiſſorum fidem nunc liberare tempus eſt, ſignum tuba dedit, caceribus equi dimittantur. Ruſticam quàm urbanam plebem armis aptiorem eſſe non immeritò arbitratur nobilis Inſtitutorum Rei Militaris ſcriptor, quia hæc urbium illecebris, voluptatibus ac deliciis frangitur, illa verò ſub divo & in labore nutritur, ſolis patiens, umbræ negligens, balnearum neſcia, deliciarum ignara, ſimplicis animi, parvo contenta; duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui geſtare ferrum, foſſam ducere, onus ferre conſuetudo de rure eſt. Neque hinc abludit glorioſus ille Numanus apud Virgilium, militem enim Italum Phrygio ideò anteponit, quòd Phrygius mollis ſit ac laborum fugiens; Italus verò durum à ſtirpe genus, frigore & æſtu duratus, patiens operum ac parvo aſſuetus. Quotquot rerum bello geſtarum magnitudine orbem nominis ſui gloriâ implevere, patientiâ, labore, abſtinentiâ, continentiâ cœteros mortales omnes longè ſemper anteſteterunt. Quid Alexandrum Magnum memorem, qui leui & parabili cultu corporis, habitu-

tuque paullum à privato abhorrente contentus fuisse dicitur, cujus laboris patientiam propemodum nimiam comitabatur vis animi incredibilis, qui omnes ante se Reges continentiâ, omnes milites abstinentiâ vicit? Quid Scipiones referam? Quid Hannibalem? Quid M. Catonem? Quid incommodum illum Commodum, aliosque innumeros, qui hisce & ingenii dotibus & animi artibus effecerunt ut suis pariter cari ac venerandi essent?

Hæc si militibus decori sunt & ornamento, ac in illis ante omnia desiderantur, non minùs sanè & in iis quoque requiruntur, qui in Musarum castris militant. Nemo unquam arduum illum Musarum clivum absque labore superavit, nec citra pulverem & sudorem doctrina comparatur, multa ferre, multa pati illum oportet qui ad metam adspirat. Non jacet in mollibus stratis scientia, non tralaticio carmine evocatur, nec quibuslibet sacris elicitur, multo conatu, multo molimine, multis vigiliis ad id opus est. Literæ sunt ager cujus ubertas à cultura pendet, si neglectus jacuerit, nullum inde percipies emolumentum, miser erit & jejunus, at si illum sedulò & ut par est exercueris, non ingratum experieris, fructus ante prævisus indubitatò consequetur. Nusquam enim nec opera est sine emolumento, nec emolumentum fermè sine impensa opera. Labor voluptásque dissimillima naturâ, societate quadam naturali inter se sunt juncta; qui nucleum

esse vult, nucem frangat oportet. Degenerans à labore ac virtute miles, militiæ fructum frustra expectat: ita & studiosus qui à pristina remittit diligentia, qui movet se, sed nihil promovet, retrogreditur potiùs quàm progreditur, deficit potiùs quàm proficit. Longè pulcherrima est quæ ex literis petitur corona, sed de mediis spinis petenda est. Poma ibi leguntur, poma aurea, verè aurea, sed Draconi, & Draconi vigili, semper vigili sunt eripienda. Labor, & improbus ille, est adhibendus, quem adhibuerunt, nunquam non adhibuerunt qui in literis nomen sunt aliquod consecuti. Notæ hîc Demosthenis antelucanæ lucubrationes, Cleanthis τοῦ Φρεάντλου qui Hercules alter dici meruit labores, Epicteti lucerna, & alia id genus ὅσοι ψάμαθός τε κόνις τε. Innumera quippe nobis exempla suppeditant prima, media, & infima sæcula.

Verùm ad alia properantes, hîc nobis de industria temperamus, temperantem enim & abstinentem ut militem sic & studiosum esse decet, nec quibuslibet animi motibus frænos laxare, ac præsertim corporis voluptatibus inter quas non postremum locum obtinet, quam cum belluis communem habemus, cibi ac potûs delectationem. Quod Macedonas illos qui Alexandrum in expeditionem Asiaticam comitati sunt tantopere olim commendavit, quòd cibo quem occupassent satiari solerent, quòd tempora somni arctiora illis quàm noctis essent, non parvam quoque hodie

lau-

laudem illis conciliat qui ſub Apolline merent. & militiæ literariæ nomen dederunt, adde quòd utriuſque militiæ labor, aſſiduâ frugalitatis conſuetudine facilior fit. Scitum eſt illud Græcorum παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον: ſtudioſi ad incomam ut olim milites non exiguntur. Non in illis athleticus Dioxippi Athenienſis habitus requiritur: qui plus æquo in cuticula curanda operantur animum fere negligunt. Nimia ſagina ingenii acumen retundit, quo mollius habet corpus, hoc acriùs menti reluctatur, &, ut equus delicatè paſtus, ſeſſorem excutit: ſi quid hic ſibi indulget miles, ſi quid ſtudioſus totum illud ad ſanitatem, non ad voluptatem referat. Nihil eſt enim quod æquè & vigorem mentis debilitet, & robur ac nervos corporis infringat ut voluptas, quippe vires omnes & corporis & mentis opere ac labore vegetantur, ſomno, otio, gulâ, ac mollitie, ut cum Auguſto loquar, betiſſant. Delitiæ Campanæ invictum illum Hannibalis exercitum peſſum dederunt.

Otium in militibus ſemper præſtantiſſimi quique duces tam averſati ſunt, quàm qui maximè, nam ut exercitus ab exercitio nomen trahit & exercitio proficit, ita etiam otio conſeneſcit, & quantum hebetior eſt ad ſuſtinendum laborem, tantùm ad diſcordias quoque promtior. Ideò militem aſſiduò ſibi exercendum duxerunt. Artifices omnes artes ſuas quotidianâ meditatione aut ſervare, aut au-

augere consuelcunt, quantò potiori ratione militem cujus est manibus servanda Respublica, scientiam dimicandi, usúmque rei bellicæ jugibus exercitiis acquirere, acquisitum custodire oportet? Neque enim longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, sed continua exercitionis meditatio. Post quanta volueris stipendia, inexercitatus miles semper est tyro. In omni autem prælio non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium solent præstare victoriam. Ac sanè milites variis præliis exercitati, si hostis sit in propinquo, & celeritatem res poscat, nihil ducis imperium spectant, sed per se quæ videntur administrant, nec minùs commodè ipsi sibi præscribere, quàm ab aliis doceri possunt: Inexercitati autem dum quid sit agendum, sibi ut præscribatur expectant, hostibus victoriam sæpe concesserunt. Iccirco nullâ aliâ re nisi armorum exercitio, disciplinâ castrorum, usúque militiæ populus Romanus terrarum orbem subjecit.

Sed quemadmodum in corporis, sic & in animi actionibus usus atque exercitatio tum celeritatem, tum facilitatem pariunt. Ingenium quippe hominis, ut dicebat olim Cato, ferro est simile quod ex usu splendescit, at in otio rubigine obducitur & exeditur. Tantopere formidatum in Hispanicâ expeditione Scipionis militibus oblivionis flumen longè magis formidare debent bonarum literarum studiosi, nihil enim in metuendos illos vortices studiosos tam citò præcipitat

quam

quam exercitii intermissio, seu neglectus. Nulla dies ergo sine linea prætereat. Continuò aliquid meditetur, aliquid scribat, aliquid legat studiosus, nocturnâ libros verset manu, verset diurnâ, quamvis ingenio minùs valeat, assiduitate tamen quicquid est difficultatis superabit. Bella non impetu sed perseverantiâ conficiuntur, contatione languescunt, per tædia & moras evanescunt.

*Ferreus assiduo consumitur annulus usu?*
*Interit assiduâ vomer aduncus humo.*
*Quid magis est durum saxo, quid mollius undâ?*
*Dura tamen molli saxa cavantur aquâ.*

Non vi quidem, sed continuè, sed assiduè stillando & decidendo.

Assiduè itaque exerceatur studiosus, nec domi tantum, atque intra privatos parietes exerceatur, sed in publica luce, ac frequenti æqualium conventu. Sanè miles publicè exercetur, ubi nullum paulò fortius factum latere potest, & in conspectu ducis qui laudando promtos & castigando segnes, acres stimulos optimo cuique ad virtutem addit; honoris enim æmulatio pro necessitate est, æmulatione segnitiem sæpe repulerunt milites, æmulatione sæpe victoriam reportarunt. Æmulationem si sustuleris, unâ eâdemque operâ, virtutem sustuleris. Utilis hîc est ac laudabilis ambitio, quam ideò ἔσχατον τ̃ παθῶν χιτῶνα *ultimam affectuum tunicam* egregiè vocarunt Veteres, hanc enim ultimam anima

exuit, ut virtutis veſtem nuda poſtilla expectet.

*Tunc bene fortis equus reſerato carcere currit,*
*Quum quos prœterat, quosſve ſequatur habet.*

Aut languescunt, aut inani perſuaſione ferè tumeſcunt qui in ſolitariâ & umbratili vitâ educantur. Acriores ad ſtudia literarum faces exempla condiſcipulorum ſubdunt, quàm quælibet docentium præcepta. Prodeſt condiſcipuli objurgata deſidia, prodeſt laudata induſtria, ideò quum excitetur laude æmulatio, turpe ducit ingenuus puer cedere pari; pulchrum ſuperare majores, extremum pudet redire. Claſſem ducere unicè optat, & ut olim Scævam propter rem fortiter geſtam ab octavis Ordinibus ad primipilos ſe tranſducere pronuntiavit Cæſar: ita & ille ab ultimis ordinibus ad primos omnibus votis contendit. Pedeſtres copiæ ad equum reſcribebantur, Legio bene merita cohortis Prætoriæ loco habebatur: ita & ille ad claſſem, ad ordinem ſuperiorem reſcribi, ac primo ubique loco haberi quærit, primam ubique palmam ambit, primam ubique laurum, quam ſi adeptus fuerit, ſucceſſu curam non remittit, ne fortunam de ſe potiùs quàm curam, quàm ſtudium ac diligentiam meruiſſe oſtendat. Si non omnia ceciderint ſecunda, fortunam induſtriâ ſublevandam, acceptum incommodum virtute ſarciendum eſſe ſancit, dolore ad depellendam ignominiam concitatur, & eo diligentiùs victoriam in poſterum meditatur.

Con-

Condiſcipulos quorum imitatio quàm magiſtrorum facilior ſemper eſt, primò æmulatur, at poſtquàm condiſcipulis ſuperior evaſit, & optima imitanda ſibi eſſe intellexit, jam quò non audebat antea aſſurgit æmulatio, & præceptorem quoque tandem imitatur.

*Obſequium in principem & æmulandi amor validior eſt quam pœna ex legibus & metus*, inquit Tacitus de Veſpaſiano verba faciens, qui antiquo cultu, victuque adſtricti moris præcipuus auctor ſuis erat. Ut ille æmulandi amor utriuſque militiæ milites decet, ita & obſequium. Militem enim Imperatori, ſtudioſum præceptori parere, non præire oportet; ſummum rerum judicium miles Imperatori, ſtudioſus præceptori concedet, ſola obſequii gloriâ contentus. Et ut parendo potiùs quàm imperia ducum ſciſcitando, res militaris continetur: ſic literaria quoque, quod non inſubidè Pythagoram olim animadvertiſſe docet illud à diſcipulis ipſius uſurpatum αὐτὸς ἔφα, quo innuebant ſibi à magiſtri præceptis ne latum quidem unguem recedendum eſſe, diſcipulos prudentiâ magiſtri regi, non magiſtrum diſcipulorum judicio. Benè cenſebat Paulus Æmilius unum Imperatorem in exercitu providere & conſulere quid agendum ſit debere, militem verò hæc tria tantum curare, corpus ut quàm validiſſimum & perniciſſimum habeat, arma apta, animum paratum ad ſubita imperia; cætera ſcire de ſe Diis immortalibus & Imperatori ſuo curæ eſſe.

Cæſar

Cæſar quoque non minùs in milite modeſtiam & continentiam, quàm virtutem atque animi magnitudinem deſiderabat.

Hæc non malè conveniunt in illum qui Muſarum caſtra ſequitur. Unus præceptor in ſcholâ Providere & conſulere quid agendum ſit debet, ſtudioſum verò hæc tria tantùm curare, corpus ut ſanum habeat & ad ſtudia idoneum; arma apta, calamos, chartam, codices, atramentum: animum paratum ad magiſtri imperia capeſſenda; cætera ſcire de ſe Deo immortali & præceptori ſuo curæ eſſe. Non minùs in illo modeſtia & obedientia quàm ingenium & memoria deſiderantur. Conſilium & ſtudiorum ſuorum regimen præceptori relinquere, ac bene monenti parere debet, ne ætas improvida, ut ait ille, ludificetur. Nec parva hæc erit illius gloria, imò major quàm ſi in hoc ætatis lubrico quæ facienda ſunt, per ſe facere aggrederetur.

Heſiodus primas per ſe ſapienti tribuit, ſecundas ei qui rectè admonenti obtemperat. Verùm Zeno Cittiæus primas obtemperanti, ſecundas per ſe ſapienti. Iſte enim novit tantùm, quid facto ſit opus: ille verò quod facto opus eſſe didicit reapſe præterea exequitur. Ac ſane quid pulchrius, quid glorioſius, quid juſtius, quàm illorum præceptis atque imperiis parere quibus lege, juréque parere tenemur, quibus parendum eſſe recta dictat ratio? Primum atque adeò unicum juſtitiæ præceptum eſt unicuique ſuum

red-

reddere. Vis suum unicuique reddere? Debitam præceptori observantiam redde: hanc Deus cui ante omnia parendum est, erga parentes, erga præceptores, erga magistratus, erga duces atque imperatores exigit, quod latere te non potest, si sacram paginam consulere visum fuerit. Hâc pietatem nostram, hâc cultum, observantiam & humilitatem testamur. At quales, bone Deus! quantas & quàm gloriosas virtutes, quæ nos Deo, quæ nos hominibus gratos & acceptos reddunt! Hanc non pœnæ metus, non commodi alicujus spes, sed amor boni, amor justi & æqui in nobis ingenerant. Honestæ caussæ, non potest non esse honestus effectus. Contrà quid fœdius inobedientiâ, quid turpius impietate, quid contemtu, superbiâ tumore, contumaciâ, duritiâ mentis obstinatæ & id genus vitiis quæ inobedientiam vel pariunt, vel comitantur? quid decentius ordine, quid deformius confusione? at istam inobedientia, illum obedientia inducit. Sed nihil magis necessarium est utriusque militiæ militibus, nihil quod magis conducat quàm obedientia erga præfectos.

Patriam, conjuges, liberos, honores, divitias, libertatem, gloriam, vitam, qui ducum imperiis religiosè obtemperant alii obtinent, alii acquirunt. Paupertate, jugo, servitute, ignominiâ liberantur quibus cum paupertate, jugo, servitute, ignominia confligendum erat. Hostes pro-

procul arcent, imò in æternum ſummovent, atque illorum minas & jam jam impendentes dolos ac machinas à ſe ſpernunt & aliò derivant. Studioſus qui præceptoris dicto audiens eſt & docilem ſe præbet, non ſolùm ea quæ priùs imbibit fideliter ſervat, ſed & majores in dies progreſſus facit, ac brevi cæteros doctrinâ ſuperat, nobilis & clarus evadit, inſitam atque innatam homini inſcitiam ponit & exuit, ab illâque ſe tutum & immunem in poſterum præſtat. Imminentia quippe mala obedientia à nobis ferè avertit, ut non ineleganter innuit Apologus. Paſtum proficiſcens capella hœdo imperavit, ne cui fores ante veſperam aperiret. Vix abierat illa quam lupus adfuit, ac fores pulsans, voce quàm poterat exili ac deducta, ut capram quàm proximè referret, hoedum aperire juſſit, cui ille: & imberbes mater admittere, & ante veſperam fores aperire vetuit.

Neque id ſolùm, ſed & obedientia mores aſperos præceptorum ac parentum ſæpe flectit. Obſequio quippe mitigantur imperia, nec ſuperiorum clementia in ipſorum modò, ſed etiam in illorum qui parent ingeniis ſita eſt: ubi verò reverentia exceſſit animis, & ſumma imis confundimus, ſeveritate coërceri debemus, inobſequentes ſupplicio & ignominiæ debentur. Corrupta diſciplina milites ſæpiùs quàm hoſtis perdidit; qui erga Imperatorem obſequium exuerunt malè re geſtâ malé plerumque periiſſe videmus

demus. Corrupta diſciplina innumeras quoque ſcholas perdidit, & præceptorum labores irritos reddidit. Nam ut præceptorum officium eſt docere: ſic diſcipulorum præbere ſe dociles. Alioqui neutrum ſine altero ſufficit. Et ſicut hominis ortus ex utroque gignentium confertur, & fruſtra ſparſeris ſemina, niſi illa præmollitus foverit ſulcus: ita eruditio coaleſcere nequit, niſi ſociata tradentis, accipientiſque concordiâ.

Adde quòd nunquam bene imperabit, qui parere non didicerit. At durum fortaſſe & aſperum videbitur voluntatem ſuam alteri ſubmittere, & ea tantùm quæ præceperit exequi, nihil tam hominem decet quàm liberum ſui arbitrium. Imò quid facilius, quid iucundius, quid tutius, quid mage liberum? Ille demum veram ſervit ſervitutem, nec ſui arbiter eſt, qui obſequium illis quibus debetur denegat. An videbitur difficile, an ingratum id quod tot, tanta, támque certa & indubitata præmia ſecum trahit? Obedientia felicitatis mater eſt, illam muneratur Deus, illam munerantur homines. Illa honores, opes, gloriam conciliat, illa rectè imperandi ſcientiam docet. Illa Reip. ſalutem continet, ſocietatis humanæ vinculum eſt & coagulum, illa ſui cultores à certiſſimo ac præſenti plerumque liberat exitio. Pereunte obſequio, imperium intercidit. Imperio intercidente actum eſt de iis qui obedientiam relinquunt & abjiciunt; non vitatur naufragium niſi guberna-

natori auscultaveris: melioribus parere summa est sapientia.

Ad hanc igitur summis viribus enitamur, quò superioribus lubitum fuerit, obsequentes flecti. Præceptores nostros non minus quàm ipsa studia amemus. Parentes esse non quidem corporum, sed mentium credamus. Illorum iussa exequamur potiùs quàm interpretemur, ne militiam nostram in lasciviam vertamus, & desidiæ nostræ studia prætendamus. Pudor atque officium, commilitones carissimi, plus apud nos valeant quàm timor. Nam & vos, vos præsertim, imó solos, ego qui totus in obsequium superiorum formari debeo, meque simul cum vobis nunc compello. Cæteros quibus cultum & reverentiam debemus, absit ut nostra nunc tangat oratio. Milites armis immoriuntur, & nos libris immoriamur. Si aspera primo aditu hæc mihi, hæc vobis, condiscipuli, videntur, progressu faciliora & amœniora erunt; audeamus modò, audentes Deus juvabit & difficultatibus omnibus tandem gloriosé superatis, obsequii nostri fructum referemus, ac tantopere optatam illam & unicè speratam eruditionis metam non sine mirificâ ac incredibili voluptate contingemus. Dixi.

ORA-

# ORATIO VI.

*Laudes Genevæ.*

NIſus cum Euryalo in Teucrorum Conſilium olim admiſſus, huiuſmodi præfatione adhibitâ auditorum faventiam ſibi conciliaſſe fertur.

*——— Audite ô mentibus æquis*
*Æneadæ, néve hæc noſtris ſpectentur ab annis*
*Quæ ferimus.*

Ego verò, Auditores, ut æquâ mente me audiatis, ea quidem quâ par eſt animi ſubmiſſione rogo; ſed ut quæ affero, meis ſpectetis ab annis, enixè ſimul & omni ſtùdio à vobis contendo, alioquin elimati judicii veſtri cenſuram puerilia hæc ferre non poſſent.

Cætera animantia prona & terram ſpectantia, hominem verò celſum & rectum Dei ſapientia conſtituit, oculorúmque acies gemellas, perlucidas & viſionis luce illuſtres conceſſit, ut Mundum hunc omnem, Cæli & Terræ ſocietate conſtantem, intueretur, & tam admirabili intuitu excitatus, mentem animi ad ſtupendi hujus ſyſtematis architectum, eundémque moderatorem & conſervatorem attolleret. Sed quum univerſitatis corpus in partibus ſuis faciliùs conſpiciendum ſe præbeat, non abſurdè faciunt qui unius loci ingenium qualitatéſque deſcribunt, aut mœnia urbis, aut alicuius amnis fluenta, aut horti amœnitatem, aut collium de

declivitatem, aut montium magnitudinem & sylvarum opacitatem; singulis enim partibus attentiùs & diligentiùs consideratis, meliùs comprehenditur.

Horum ergo vestigia legens, duos urbis hujus prospectus, crasso carbone delineabo, neque enim hic Optices præcepta, non commensurationis & aptæ symmetriæ elegantia, non ea quæ radiorum sive rectorum, sive reflexorum emissionem spectant à me expectanda. Alter erit quo à superioribus Urbis partibus in Septentrionem: Alter quo in Meridiem versi loca utrimque urbi circumjecta prospicimus. Amœnissimi sanè prospectus & qui summam non solùm apud populares, sed & apud exteros omnes admirationem habent. Non temerè enim hodie in hisce Europæ tractibus aliam urbem conspexeris, quæ tot, ac tantâ admiratione animos mulcentibus gaudeat prospectibus, ac Geneva: Sed in hisce duobus tantummodo, nunc immorabimur.

Urbs modico colli imposita, Lunæ corniculatæ speciem præ se ferens & ab extremo B. Gervasio, veluti sinu quodam, flexúque curvata, altero cornu in diversum Pinûs propugnaculum excurrens, subjectum campum, Planum Palatium, ac pomœria sua (quæ Rhodani & Arvæ fluentis terminantur) primò despicit; pulcherrimo sanè, longè sanè pulcherrimo aspectu. Planities illa urbi contermina, Orien-

Orienti quadantenus obversa à sinistris in Septentrionem, à dextris in Meridiem excurrit, hinc torrente Arvâ, illinc vitiferis Campeti collibus circumcluditur. A tergo liquidis & argenteis Rhodani undis clauditur; à fronte Ponte partim sublicio, partim camerato & pilis lapideis, adversus torrentis omnia longè lateque interdum sternentis impetuosos & rapidos fluctus substructo.

Hic si oculos defigas nec latiùs vagari patiaris, est quod animum tuum, jucundâ non solùm amœnitate pascat, sed & explere & cumulare possit. Ab utroque enim latere, civium prædiola, hortique floribus, herbis, plantis, arboribus omne genus selectissimis consiti, fontibus aliquot in locis medio meditullio scaturientibus, spectaculum longe gratissimum præbent. Ipsa Thessalorum Tempe vix in certamen descendere ausint. Rhodanus extra urbis munimenta se evolvens, per stadii spatium liquidus & suas duntaxat undas trahens diffunditur, ac tandem Plano Palatio à B. Joannis Collibus sejuncto, Arvæ miscetur; hinc majore vi ac mole agens undas, conspectui nostro juxta Castellanam se subducens, inter oppositos colles defluit. Arva ab Ortu profluens quasi argentea instita Plani-Palatii extremitatem Australem ambit, sub Pincatii radicibus in Alpes se se reflectens. Septentrionalem & Orientalem, tanquam alter Meros, multa viti consitus colliculus, nec ingrato aspectu, visum coërcet.

 At

At si proximis hisce delitiis insuper habitis, visum ulteriùs protendas, montibus undique cingitur Geneva, adeò ut quocumque oculos circumferas, montes prospiciantur, alii eminentiores, alii depressiores, propiores isti, remotiores illi, omnes tamen eâ distantiâ, ut nihil aspectu pulchrius, nihil amœnius. Non potes tam grato spectaculo frui, quin statim illud Prophetæ in mentem veniat: *ut Hierosolymam montes circuitu suo claudunt ac protegunt, sic Dominus populum suum in sæcula.*

Remotiores velut cærula incumbentis cæli facies opacat; propiores grata viroris, vel saturioris, vel dilutioris varietate delectant. Arvis enim, pratis, sylvis, imò & villulis ad summum usque ferè vestiuntur, quæ singula in locis præruptioribus ac magis arduis, saxorum nuditate velut niveis & candentibus tæniis distinguuntur.

Quid toto illo tractu Salevarum montis, imò quid totâ planitie, quæ ab Arvæ ripis ad fauces illas quas Clusuras vocant porrigitur, elegantius? Tam frequentes passim vicos oculis subjicit, ut continuata Genevæ suburbia fere dixeris. Hîc segetes aureo colore flavescentes: illic prata lætâ viriditate exultantia; Hic vites pampinis pubescentes: illic sylvarum ac nemorum vernantes recessus, non greges solùm sed & oculos pascunt. Hîc per ardua montium ascenditur: illic per lubrica vallium descenditur. Per roscida cespitum & glebosa camporum emergitur, adeò ut totus ille tractus in quem de ædibus nostris

ſtris deſpicimus, merum ſit oculorum illicium.

Si ad ſiniſtram paulùm oculos reflexeris, culmen illud montis, quod Anachoretæ Sabaudi, incolunt, vel invito ſe ſe offert. Aciem oculorum ulteriùs adhuc ferenti, inter montium divergia, montes illi perpetuâ nive & glacie candicantes, quos *maledictos* appellant eminus apparent, ſitu, poſitu, aſpectu, forma ac ſpecie ſubinde variantibus, ac mirum in modum animos reficientibus & reparantibus.

Sed nunc retro concedamus, Denarii hujus Caput ſatis inſpeximus, Navim nunc videamus. Num & hic Naturæ induſtria opes ſuas liberaliter minùs explicavit? Sed bone Deus, ubi hic defigemus obtutum? quò circumferemus oculos? Quocumque circumferamus, nec ſpectando ſatiari poterunt, nec omnem pulchritudinem aſſequi. Alia ſine ulla mora & confeſtim, alia paulò poſt & ex intervallo oculis ſeſe offerent: hæc videre præoptabit animus, illa minimè prætermittenda cenſebit. Quamvis ea quæ intuiti fuèrimus, oculos occupaverint, tamen quæ videnda ſupperunt nos ad ſeſe allicient. Idcirco rebus omnibus perluſtratis, quum ad omnia contemplanda ſufficere oculorum acies nequeat, eos ſpectando victos, apud noſmet ipſos, fateri cogemur. Nihilominus tamen experiamur, quantùm id infantia noſtra & ſermonis paupertas patietur, quid in hoc argumento præſtare valeamus. Si enim minùs aſſequemur, in re magna voluiſſe ſat erit.

Ac primo quidem hic se se aspectui ingerit lacus Lemannus qui a nobis ad vicum Octodurum per XXXVI circiter passuum M porrigitur, marginibus alveum coërcentibus sensim ac paulatim assurgentibus donec ad montes hinc Juram, illinc Alpes tandem pertingant. Hic quicquid elegantiarum, quicquid illecebrarum, quicquid amœnitatis habet Natura profudisse videtur. Nullibi liberalitatem ejus minùs requisiveris. Nonne te rapiat pura illa & vitrea, támque mirabilis undarum limpitudo, ut numerare jactas stipes & relucentes calculos possis? Argenteus ille aquarum splendor? Planities illa politissimorum speculorum æquore castigatior? lævor ille incomparabilis, qui liquidâ cæli tempestate, etiam mediâ nocte, astrorum reddit imagines? Quis non totus voluptate perfundatur, quum Cymbularam accedentium, recedentium multitudinem ludentem, & remis everberatum lacum conspexerit? quum plenis velis onerariæ, vel ex alto invehuntur in portum, vel solvunt è portu? quum amfractuosos qui portum muniunt accessus, quum navale triremium, sive stationi, sive fabricationi, quum vivarium piscibus reservandis destinatum, quum lapides illos prominentes Neptuno olim consecratos, & alia innumera attentioribus oculis lustrarit? Quis latitudinem etiam, quæ prope equestre Noviodunensium oppidum, in passuum X M panditur, deinde rursus paulatim arctatur, donec apud Nantuates Rhodano lacum influente,

ut

ut hîc exeunte, coëant terræ, non mirabitur? Sed alveo omisso quis ad mirandam marginum utrimque & varietatem & æmoenitatem non obstupescat? Hic prata infinitis coloribus variegata, illic nemorum opaca, ibi camporum æqualitas, istic littorum sinuosa reflexio, illic collium vitiferorum devexitas, istic in herbis, illic in arboribus naturæ tantùm non lascivientis lusus dicam an luxuries? Per totam utriusque marginis extensionem privatorum non solùm domus & villæ, sed & pagi, sed & oppida innumera occurrunt. Fanorum pinnis & pterygiis, tanquam sylva arboribus, totus ille tractus horret. Hinc Copetum, Noviodunum, Morgias, Lausannam prospicis: illinc Tononium, Evianum, Singolphi fanum, & luxuriosis non minùs quam superstitiosis, Felicis V secessibus nobilem illam Ripaliam. Hic montes rursus in orbem effusi nec citò castigant oculos, neque per immensum Cœlum spargunt. Hinc ille Jura, quem Cæsar muro per XIX. passuum millia à Lemanni ripa ducto nobilitavit, vel ipsis Arabibus celebratus, ut ex *Illustris Adrisidis* Geographia *Clim. V. P.* 2. videre est; Illinc verò Alpium juga & inter cætera saltus ille Grajus, minoris Bernhardi vocant, per quem Annibalem in Italiam penetrasse volunt. Utrimque comis viridantibus cæsariata terra, utrimque scatebris fontium manans & aquarum agmina concipiens, ac in lacum effundens pulcherri-

mæ

mæ viſionis ſtudio intuentes prolectat, ſed næ ego illa per quæ ſingula oculus fruſtra evolvitur, fruſtra quoque ediſſero, ſermonis enim humani penuriâ nullâ quantumvis comtâ, quantumvis copioſâ oratione comprehendi poſſunt. Sed me inacceſſæ amœnitatis admiratione ſtupidi, forte vultis nunc indicare, cui ex his duobus proſpectibus palmam deferam. Nocuit olim Phrygio judici ſuum de pulchritudine judicium. Niſi mihi quoque fraudi eſſe metuerem, dicerem præter prioris aſpectûs delitias, in hoc etiam, gratam vicem terræ & aquarum, lacûs inquam blandientis, & neſcio quo lenocinio ad ſe illicientis oblectationem accedere. Sed quid me judice certum eſſe poſſit? Quare quum judicii metuam eventum, nihil dicam. Nihil dicis? Nihil dico, inquam, & ut nihil dicam hic dicendi finem facio,

## ORATIO VII.

### *De Latrunculorum Ludo*

Armis hodie omnia perſtrepunt, truci lituorum ſtridore, horrendo tubarum clangore, rauco tympanorum mugitu omnia reboant. Bellicum paſſim canitur, quaquaverſum oculos reflectas, nihil niſi gladii, nihil niſi æs atque ferrum, nihil niſi tubi plumbo & pulvere nitrato graves ſe ſe offerunt. Ab ultimo Occidente, ad extremum uſque Orientem, à Septentrione ad Meridiem nihil niſi milites, nihil niſi ſigna & exer-

ercitus conſpiciuntur. Luſitani cum Hiſpanis, Hiſpani cum Gallis, Galli cum Gallis, Veneti cum Turcis, Angli cum Batavis, Poloni cum Coſacis, cum Tataris & Turcis manus hodie conſerunt. Ingens illa & gravis Germanici imperii moles ab agitatione ſua nondum bene conquievit, & parvo momento huc atque illuc impelli adhuc poteſt. In partes veniunt Dani, Sueci, Moſcovitæ, Walachi, Moldavi, Tranſſylvani, Belgæ, Sabaudi, Itali, Lotharingi, ut nulla paulo nobilior Europæ regio horum tumultuum ſeſe plane immunem jactare auſit.

Militarem itaque orationem, ſi non locus hic, ſaltem tempora requirunt. Accingo me igitur in hoc diſcrimen, opinioni veſtræ, Auditores, ſatisfacturus. De ludo & antiquo & nobili verba facere animus eſt. Quid audio? ludum ubi dixi, toto Auditorio ſtrepitus exoritur, & promiſſa non perfunctoriè repoſcit. Hic eram, fidem itaque exſolvo. Si potuit olim Pyrrhus per calculos in tabulâ diſciplinam tradere militarem, quidni hodie de ludo verba facturus, in ludo copias, turmas, caſtra, milites, equites, pedites oſtendere queam? quidni in belli ſimulacro diſciplinæ militaris præcepta exhibere?

Facilè intelligitis me ludum quem Germani, Galli, Itali & plerique alii *Scachiorum* vocant in animo habere. Quo nomine apud veteres Romanos venerit explicatu difficile eſt, neque

que enim controversias omnes, quas hîc inter se habent viri docti dirimere, neque lites decidere statui, paucis tamen indicabo quid probabile esse & verisimile videatur. Verùm nominis Scachiorum Etymon aperiam, & ludi nobilis originem suis auctoribus asseram.

Satis inter omnes constat hunc ludum illis accenseri qui à tabulis in quibus luduntur, *Jeux de tablier* à nobis appellantur. Lusus illi apud veteres præcipui erant duo, *calculorum*, quos & *latrones*, seu *latrunculos*, hoc est milites conductitios ἀπὸ τῆ λατρεύειν, vel satellites à latere, quod circum latera erant Regi, atque ad latera ferrum gestabant, volunt dictos. Et *tesserarum* quem & tabulæ & duodecim scriptorum ludum, & aleam appellavere, in quo ars cum fortuna certabat, ideò quod malè ceciderat, sæpe arte corrigebatur, *Trictracum* hodie nobis dicitur. Et unus idemque alveus, seu tabula lusoria ab uno latere calculis seu latrunculis, ab altero tesseris serviebat, unde factum ut alveolus lusorius forum aleatorium Augusto apud Suetonium dicatur. Hunc duplicem alvei usum satis indicat Martialis, libri decimi quarti epigrammate, cujus lemma, *Tabula Lusoria*. Erant & alii ludi qui in tabula ludebantur, ut qui sub nomine διαγραμμισμῦ apud Græcos venit, & parum distasse creditur à nostro quem vocamus *Dominarum* ludo.

Tabulæ illud latus in quo Scachiis ludimus ligneis

neis quadraturis discoloribus sexaginta quatuor alternatim positis distinguitur, & in his quadraturis locari solent Scachii, has Latini *mandra, septa, vallos capsas, & carceres* in suo Latrunculorum ludo vocabant, quod nominis cur in nostro Scachiorum ludo usurpare nobis non liceat, nullus video. Nam revera Scachii nostri Latrunculorum nomen sibi jure vindicare possunt, quum Regi suo sint à latere eúmque protegant & defendant; nam quominus eosdem esse planè credam, obstant non solum repugnantes inter se doctorum virorum sententiæ, sed etiam ea quæ de calculorum seu latrunculorum ludo à Veteribus recensentur, qui calculum discolorem capi non posse nisi à duobus contrariis concoloribus constanter asserunt, quod tamen hodie aliter in Scachiorum ludo obtinet, ubi calculus ab unico adversario plerumque capitur.

In Rythmomachiæ ludo, cujus auctorem Pythagoram perhibent, hoc aliquando contingit, ubi unus *gemino calculus hoste perit*, qui totus quoque ludus speciem belli præ se fert, & à quo Scachiorum ludum profluxisse nonnulli volunt. Hujus calculi eleganter quoque sub latronum & insidiosorum latronum nomine venire & potuerunt olim & etiamnum adhuc possunt. Sed hæc omnia ut incerta in medio relinquo.

Hoc tantùm dicam scachiorum ludum, ut quidam arbitrantur, apud recentiores Græcos ζατρικίῳ respondere, quod vel inde constare vo-

volunt quòd in ζατρικίῳ haud secus ac in Scachiis, princeps calculus *Rex* appellaretur, nec aliter moveri soleret, quam ubi maxima urgebat necessitas, & aliud auxilii genus non suppetebat lusori ad se defendendum; tum quia omnia in ζατρικίῳ ad imaginem belli erant composita. Hinc militum, aciei, phalangis, prælii, hostium, captivorum, tropæorum passim mentio apud illos qui ludum illum descripserunt. Sed hæc ratio æquè facit pro aliis ludis, qui in abaco luduntur, & sub generali calculorum nomine veniunt, ac pro ipso Scachiorum ludo.

Etymon vocis quod attinet, sunt qui Originis Germanicæ esse nugantur & à *scheichen* sive *schacken* quod *expellere*, seu *propellere* significat, deducunt. Nec minus & otio & ingenio suo abutitur, qui apud Latinos à calculo deducit, ut dictus fuerit primo *scalculus*, deinde *scalclus* tum *scalcius* vel *scacius* & tandem Scachus. Quinimo *scachum* pro furto vel latrocinio in veterius Langobardorum legibus poni contendit, ut ita Scachi iidem revera sint ac latrones; & *Mattum* quâ voce utimur quando Regem ad incitas adactum ostendere volumus, vult Latinam esse, & Græcæ originis à μακτὸς subactus & emollitus, ut pro bractea bratteam scribebant, & Vittorius, pro Victorius. Sed si similitudo vocum hic solùm attendenda est, quid ni à Græco μάταιος; vel ab Italo *Matto* derivari æque poterit?

Cæterùm quod in Scacchia sua denominationem

nem hanc arcessit *Vida* à *Scacchide* Nympha, cui Jupiter ad ripam Serii à se compressæ tabulam lusoriam cum bicolore buxo virginitatis ereptæ, pudorisque imminuti pretium rependit, lusus est & figmentum poëticum. *Polydorus Virgilius* de Rerum Inventoribus *Lib.* 2. *c.* 13. Scachos à *scandendo* dictos arbitratur, quod calculi quum moventur in adversariam partem scandere videantur, æquè verè ac quod supra dixerat circiter annum Orbis conditi MMMDCXXXV ludum hunc à viro quodam sapiente cui Xerxi nomen erat inventum esse, ut tyranni cujusdam (nomen ille subticet, alii *Evilmerodachum* esse perhibent) sævitiam coërceret, ostendendo majestatem sine viribus, hominúmque adminiculis parum admodum val re, atque tutam esse, quum ex hoc ludo satis pateret Regem nisi vigilaret & à suis amaretur & defenderetur, facile oppressum iri. Alii Lydo & Tyrrheno fratribus adscribunt, qui gravitate annonæ quum patria premeretur altero die cibum sumentes, altero Scachiis ludentes, famem suam hoc pacto fallebant. Pro fratribus illis sunt qui ipsos Lydos Asiæ populos substituant, & ludum hunc excogitasse fingant. Sunt qui ad Aegyptios rerum abstrusarum indagatores & summos ingenii cultores referant. Sunt qui ad Mauros, propter eximiam illorum & admirabilem plane in hoc ludo peritiam, adeò ut inter ambulandum & memoriter, non inspectâ tabulâ lusoriâ, ludere soleant. Alii denique ad Persas, qui

qui ultimi soli scopum attigerunt, quod meliùs patebit, si veram ac genuinam Scacchiorum, & formulæ *Schak matt* notationem aperuerimus.

Schatrengia Philosophus & Mathematicus inter Persas celeberrimus, omnium omnino Orientalium testimonio primus Scachiorum inventor fuit, à quo & ipse Lusus nomen adeptus est, adeò ut non solum ab ipsis Persis, sed etiam ab Arabibus & omnibus iis quibus lingua Arabica familiaris est, lusus *Schatrengia* dicatur. *Elmacinus* in epitoma historiarum *Abugiafaris* aliquoties hujus lusûs meminit. *Arabsia* filius Timurum, quem nos Tamerlanem appellamus; illi addictum fuisse ostendit.

Auctor Persa nomina Persica latrunculis suis indidit, ac formulis Persicis in ludendo usus est, quas Arabes, ut valde proprias, & quibus nihil inveniri posset significantius, retinuerunt, & ad nos per contagium transmiserunt. *Schach* autem Persis idem est quod Arabibus *Sultan*, quod Tataris *Chan*, & Regem significat. Inde *Schach*, *Padischah*, *Schach Ismael*, *Schach Thamas*, *Schach Mahometh*, *Schach Abas* frequenter occurrunt apud rerum Persicarum scriptores. *Mat* quoque vox est Persica, perplexum significans, non Arabica *mata* mortuus est, ut perperam *Joh. Fabr. Dantiscanus*, vir alioquin eruditus, existimat.

Sanè ut origo ludi, sic tota hæc formula in solidum Persis debetur. Est igitur *Schach mat*, Rex est perplexus, turbatus, & qui quo se vertere-

teredebeat nescit. Apud *Elmacinum* in vita *Chalifæ Alamini* sub finem occurrit formula hæc integra, sed verba ipsa malo vos audire, quia duas elegantissimas historiolas continent, quæ *Alamini* socordiam & ignaviam egregiè depingunt atque oculis subjiciunt. Servus erat illi, cui nomen Cu- „tero erat, cum quo sæpiuscule nugari & lusita- „re solebat. Aliquando quum piscatui simul in- „dulgerent, advenerunt nuntii, qui ducem „quem adversus hostes miserat, cæsum esse & to- „tum exercitum in fugam versum, referebant; „Quid me hac de re obtunditis? inquit, Nolite „mihi molesti esse, Cuterus enim jam duos pis- „ces, ego vero nihil dum cepi. Non longo post „tempore quum latrunculis itidem luderent (hic „vocem *Schatrengia* usurpat *Elmacinus*, ut & in „vita *Mustaini Billa Chalifæ.* 33. sub finem) & „Taherus Bagdadum arctissimâ obsidione cin- „geret, & grave periculum immineret, dixit ei „quidam familiarium ejus, O Jmperator fideli- „um, minimè nunc est tempus ludendi, surge „& rebus tuis prospice. Sine me, respondit, „jam enim apparet mihi contra Cuterum Schach „mati, cur me interpellas, in eo enim sum ut „Cuteri Regem ad incitas àdigam. Quæ egregio Poetæ elegantissimi epigrammatis argumentum suppeditavere, cujus sensum non pigebit referre. *Quum mane Rex ludo operam dat, certissima miseria & exitium regno ejus impendent; Nam sol ubi libram signum lusûs & gaudii attigit, solet descendere.*

Nec

Nec hanc solùm formulam à Persis mutuati sumus, sed & nomen quoque calculi qui angulum abaci occupat, voce Persica *Roc* appellant & Germani & Galli. Atque hi sunt primi ac veri natales hujus egregii lusûs, qui à Persis ad Arabas, ab Arabibus ad nos transiit, adeò ut non eundem prorsus cum veteri apud Romanos Latrunculorum ludo, illud facere audeam; quamvis eo nomine verè quoque illum insignire possimu . Sanè inter Scriptores nostros primi mentionem ejus faciunt Rhapsodi illi, quos *Romanos*, vernacula nostra appellat, quum res gestas Caroli Magni adversus Saracenos ducibus Æmone, Rolando, Arnaldo Montalbanensi & id genus fabulosis Heroibus, nobis describunt, ac Saracenis summam hujus lusûs peritiam tribuunt. Possem hæc omnia longè fusiùs prosequi & præcipua disciplinæ militaris præcepta quæ hinc deduci queunt, enarrare; sed jam nimis diu patientiâ vestrâ abusus sum: tempus me monet ut aliis quoque dicendi locum relinquam. Dixi.

---

## ORATIO VIII.

### *Laudes Pennæ.*

PUer suum & ex illorum numero quos ætatula finit ludere & nugari: hoc nomine ad vos advenio. Quid rerum portem fortasse quæritis. Si quæritis, meum est respondere. Respondebo igi-

igitur, imò jam respondi, quum me ætatis improvidæ puerum esse dixi. Nihil ergo nisi puerile porto: si quid aliud à me expectetis, vos fugit ratio: sin hoc ipsum expectatis, non magnam profectò habetis expectationem, & utique digni estis quibus nihil præter expectationem accidat. Pennâ levior sum, non mirum igitur, si me cœlo vestro credere audeam, & nisi pennarum mearum nisus inanis hodie claudicaverit, pennâ non chartam, sed aërem, sed aures vestras secabo.

Pennâ me, è maternarum pennarum fotu primulùm prodeuntem, primus ille pueritiæ meæ moderator armavit. Caulis erat oblongus, teres, cavus, pellucidus, nisi qua partem pennatam dorso camerato, ventre striato medulla alba condensabat, quam scapelllo resectam oppositæ aperturæ indidit, & filo nescio quo inde exenterato, extremum caulem ab ea parte quæ strigis cavo subjacet aperuit, angustius primò, deinde sensim progrediendo paulò laxius & tenui fissura divisum in acutum mucronem aptavit, ac in nigerrimum qui aderat succum, atramentum vocabat, intinxit, manúmque manu regens ductus quosdam exprimere & effingere me docebat. Mihi per avia loca, nulliúsque solo trita incedere videbar, pro monstro exemplum erat, donec paulatim consuetudo admirationem sustulit, usus instrumenti præstantiam docuit. Non majores ergo nido meo pennas extendam, si pennam meam excussero.

Veteres scribebant vel graphiis, vel calamis. Gra-

Graphiis in cereis pugillaribus, calamis in membranis aut chartâ, ne arborum libros seu cortices, malvarum seu palmarum folia, plumbea volumina, lintea, tabellas ligneas, ebur seu libros elephantinos, papyrum Ægyptiam, & alia id genus commemorem, in quibus ante chartarum usum, scriptitatum est.

Graphium stylus erat ferreus ab una parte acutus, quâ exarabantur in cerâ literæ, ab alterâ parte planus, quâ inducebatur quod perperam erat exaratum, & rursus complanabatur cera, ut docet Symposius in ænigmate cujus lemma Graphium.

*De summo planus, sed non ego planus in imo,*
*Versor utrimque manu, diverso & munere fungor*
*Altera pars revocat, quicquid pars altera fecit.*

Inde, stylum vertere, dixere Latini, pro, scriptum suum mutare, inductâ priore scripturâ, ut in nobili illo Horatii mei præcepto:

*Sæpe stylum vertas, iterum quæ digna legi sint*
*Scripturus; neque te ut miretur turba labores,*
*Contentus paucis lectoribus.*

Quia verò graphiis ad necem inferendam plerique abutebantur, imò & ex professo in eum finem sibi graphia parabant, cautum aliquando Romæ fuit, ne ferrea graphia quisquam haberet, sed ossea: unde est illud Attæ Poëtæ veteris in Satirâ, *Vertamus vomerem in ceram, mucronéque aremus osseo*; tritúmque illud Scribarum, *Ceram ferro ne cædito.*

Hinc

Hinc lucem accipit quæ de Demarato Lacedæmoniorum Rege fertur historia, qui quum apud Persas exularet, & Xerxem bellum adversus Græciam instruere videret, amicior patriæ post fugam, quàm Regi post beneficia, ne inopinato bello opprimeretur, omnia in tabellis ligneis magistratui perscripsit, easdemque cerâ superinductâ delevit, ne aut scriptura sine tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet: fido deinde servo perferendas tradidit, jusso magistratui Spartanorum tradere. Quibus perlatis, Lacedæmone quæstioni res diu fuit, quod neque scriptum aliquid viderent, nec frustra missas suspicarentur, tantóque rem majorem, quanto esset occultior putabant. Hærentibus in conjecturâ viris, soror Regis Leonidæ consilium scribentis invenit. Erasâ igitur cerâ, belli consilia detecta sunt.

Sic quoque Hamilcar cognomento *Rhodanus*, Alexandri Magni consiliis exploratis, in tabellis ligneis, vacuâ desuper cerâ inductâ civibus suis omnia perscribebat, Ast ubi tabellis seu pugillaribus papyrus, pergamenæ ac denique chartæ successerunt, stylum excepit arundo, arundo quam ita de se apud veterem poëtam canentem audire, haud abs re fuerit:

*Dulcis amica Dei, semper vicina profundis*
*Suave canens Musis, nigro perfusa colore,*
*Nuntia sum linguæ digitis signata magistris*

Non autem quælibet arundo *εἰς βιβλιογρα-*

 *φίαν*

φίαν ἐπιτήδει@ fuit, ſed ea ſolum quæ fiſtuloſa erat, ac ideo συριγγίας dicta, geniculata, abſque cartilagine, abſque carne. In medio autem fiſſæ erant arundines ſeu calami quibus ſcribebant, & duos apices oſtendebant: eâdem enim ratione ſcalpello temperabantur, atque hodie pennas noſtras temperamus, unde κάλαμοι μεσοσχιδεῖς in Epigrammate appellati, & à Crinagorâ καλαμοι διασχισθ διαγλυπτει κεράεσι. Sed quum calami & craſſiores eſſent, &, ultra quàm ſatis eſt, ſæpe finderentur, omnium ferme conſenſus pennam calamo mutavit, atrum ergo tranſverſâ pennâ calamo ſignum allinere animus eſt, & pennis mihi datis pennam experiri.

Iam totus volare geſtio, & avem induere, non quam Fotidis unguedine perlitus induit Lucius, ſed illam, quâ me quoque poſſim.


*Tollere humo, pennâque virûm volitare per ora*

Nam ſive penna à Græco πετεινὸν, ſive à pendendo. i. volando, dicta veteribus, quidni pennâ inſtructus volabo, & alarum mearum remigio utar? Utar ſane, utar, & uti præſtat, quam pennis ope Dædaleâ ceratis niti, ea garrire quæ captum meum non ſolum excedant, ſed in quibus neque pes uſquam, neque caput compareat, quæ tantùm habent ſtoliditatis ut humana negem, nedum Latina confitear. Quod ſi per πετρολόγυς non licet, utar tamen & penna erit mihi pennata, calamo & atramento temperato, chartâ etiam dentatâ res agetur. *Pennum* enim veteres acutum dixere, & de

inde pennæ seu pinnæ quia acutæ; & *pennata, impennataque agna*, in Saliari carmine, spicæ cum aristis; sine aristis verò *agna nova*, nam & Græcorum rustici teneriores spicas ἄγνας vocaverunt.

Pennas nobis suppeditavit Alitum genus omne, abundantiam verò & copiam Cygni & Anseres. Corvorum tamen pennis ut plurimum utuntur, & in organis malleolaribus aptandis musici & qui rerum umbram lineis circumducunt, vel potiùs linearem picturam exercent; nec Aquilarum pennas quidam repudiant. Ales est domestica, absit ut repudiosas faciam illius pennas: nisi melioribus sacris initiatus essem, te pænè, ô Aquila, legionum literatarum proprium, dicatumque numen dicerem.

Unum tamen illud animo votum fovebo; nec credo modum superaverit. Sit penna mea Aquilæ penna, quæ histrionum, malevolorumque omnium, omnium, inquam, Clurinæ prosapiæ alitum pennas devoret. Sit penna mea Cygni penna, non Martia illa quidem, ut Cupavonis apud Virgilium.



*Cujus Olorinæ surgunt de vertice pennæ:*

Hodie enim ardeolæ albæ & struthionum pennæ hoc muneris funguntur.

*Nec me pugnandi teneat tam dira cupido*

Ut mihi loco semper ipse non caveam, & item post principia. Sed penna mea penna Cygnea sit, alitis Apollineæ penna Apollinea, & cujus notæ suavissimos illos modos superent, suavissimum

lum cantum quem præsagâ mente.

*Ad vada Mæandri concinit albus Olor,*

merumque sint legentibus illicium. Sit penna mea Anserina, cujus argutæ blanditiæ argutum judicis acumen non formident, cujus nasus censorium styli nasutulorum mucronem retundat. Sit penna mea Anserina, quam nullus unquam sopor occupet, quæ pervigilio suo Musarum arcem diligentiùs custodiat, quam ille olim argenteus anser Capitolinam, quæ sagacitate suâ tenebrionum putida commenta è latebris & cubilibus eruat, quæ histrionibus personam detrahat. Aude penna, aude, & si fors adspiraverit immortale tibi pennâ metuente solvi nomen sacrabo.

*O quam te memorem! virtus namque haud tibi, penna,*
*Mortalis.*

Tibi Geometræ cylindros, tibi Aquileges tubos ac canales, tibi Architecti striaturam, tibi, Villici hostoria ac radios acceptos referunt. Te opifices, te aucupes & accipitrarii, te milites, Medicorum filii, Musarum alumni, omne denique genus homines utuntur. Opifices pennarum contextu corpori tegumenta faciunt, ut Philoctetes apud Accium, quo opificii genere Americanos excellere volunt. Pennis flabella confiunt ad ventulum faciendum, seu ut loquitur ille, ad æstuantibus tenue frigus ventilandum, scopulæ ad pulverem decutiendum Pennis in aucupio utuntur aucupes pennis accipitrariis, pen-

pennis galearum coni equitum, equorúmque capita insigniuntur, quinimo & peditum, Gallinaceas quoque galeris suis quidam aptant, adeò cristarum decus omnes ambiunt: pennis etiam sagittas armamus, fitque ferrum missile & volucre, quæ inter sceleratissimas humani ingenii fraudes merito censetur.

Varius quoque est pennæ in re medica usus, naribus fractis pennas indunt Chirurgi quæ desidere cartilaginem non sinant: Verrucas formicargallorum, anserum vel aquilarum pennis circumscarificant. Pennæ etiam in os induntur ad exonerandum stomachum, quod Claudio fieri solitum, quotiens cibo & vinò madebat. Ideò quum metueret Agrippina ne ex morbo convalesceret, quem medicati illius boleti esu contraxerat, provisam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibuit, qui tanquam nisus evomentis adjuvaret, pennam rapido veneno illitam faucibus illius demisisse creditur, hinc illud Martialis in Zoilum:

*Stat exoletus, suggeritque ructanti.*
*Pennas rubentes, cuspidesque lentisci.*

Pennas autem rubentes dixit, quia Phænicopterorum pennæ aptiores erant huic negotio, sed & suggerit mihi hic Martialis locus alium & pennæ usum & Martialis locum, sic ille l. 14. lemmate.

*Dentiscalpium.*
*Lentiscum melius, sed si tibi frondea cuspis*

*Defuerit, dentes penna levare potest.*

Imò & pennæ calamum vel cum Hydrargyro, vel cum Arsenico sublimato pro amuleto contra pestilentiam collo adalligant. Sternutationibus quoque importunis ciconiæ pennas, si domi habeantur, mederi prodidit post Apollonium Aëtius.

A medicis in Jurisconsultorum castra transeamus. In investimento ex causa emtionis penna hodie traditur, haud secus atque olim fustis. Ac ut in antiquo emtionis contractu, *Tu Pascuti fuste illum investito, tu Segniti illum manu capito*, sic hodie dici possit, *Tu Pascuti pennâ illum investito, tu Segniti illam manu capito*; atque hoc pacto alter decedere se de possessione, alter in possessionem ire testatur, nec ampliùs venditori se revocare integrum est, sed emtori possessionem vacuam tradere omnino tenetur.

Sed næ ego pennæ meæ pennas inciderem, si neque longiùs, neque latiùs volaret, sed si quid auguror, volabit illa.

*Unde oritur longè venientis sibilus Euri,*
*Quò Zephyrus pennâ deficiente venit;*
*Unde oritur longè venientis sibilus Austri,*
*Quò Boreas pennâ deficiente venit:*
*Unde oritur longè Boreæ violentior aura*
*Auster quò pennâ deficiente venit:*
*Unde oritur longè Zephyri genitabilis aura,*
*Eurus quò pennâ deficiente venit.*

Volabit illa quò & Musæ, nam & penna Musis

sis volare dedit. Sirenes Acheloi filiæ, animal garrulum & alatum garrulitate suâ, specie eloquentiæ, imperitis imponens, Musas aliquando cantatum provocarunt. In certamen venitur, vincunt Musæ vincuntur Sirenes, victarum pennas avulsis coronas sibi conficiunt & capita sua exornant Novensiles: non defuere tamen qui Sirenas illis præferrent. Multi semper fuere Midæ, quibus judicium & sententia Tmoli displicuit, multi sunt quibus hodie displicet & erunt quibus olim displicebit. Sed quæ hactenus Musas commendavit penna & a Sirenibus distinxit, porro commendare & distinguere perget, penna non garrulitas immortalitatem parit. Pindarum quinquies superavit Corinna, sed nihil Corinæ hodie præter nomen; Pindari penna vitavit Libitinam; non illam innumerabilis annorum series, non fuga temporum abolevit, imò nec abolebit. Bœotici judicii stodilitatem Pindarica penna etiamnum arguit. Quid magnum illum Statium Papinium memorem, cujus carmina ad majestatem Virgilianam quam proximè accedunt? tamen illum in agone Capitolino

*fugit speratus honos.*

*Illum permixtâ quercus nec pressit oliva.*

Vivunt tamen illius carmina & ore leguntur populi. Illorum verò qui vicerunt ὡς λάβρων κοράκων ἄκραντα γαρυόντων ne nomina quidem ad nos pervenerunt: pennam quippe Sirenibus detractam solæ Musæ possident, pennam quæ sola cultores suos æternitate & immortalitate

 donat,

donat, quæ ſola ſcientias omnes ab interitu vindicat, quæ ſola rerum omnium memoriam poſteritati conſecrat, & absque qua eſſet jacerent artes, jaceret inane virtutis nomen, deteriore conditione eſſent docti quàm indocti. Garrulitas enim, impudentia, hiſtrionia neſcio quo pacto, ut plurimum hominum mentes faſcinant & glaucomam ob oculos objiciunt, ut nebulonibus & cicadis qui vox ſunt & præterea nihil, grande σοφῶς ſemper acclametur; ſi quis autem literis egregiè imbutus, inſtar Menelai illius Homerici verecundè agat παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως ἀγορεύων, ſtatim tanquam bardus ac ſtolidus, tanquam ineptus, & averſis Muſis natus procul amandatur & tantùm non exſibilatur, miſero, eoque ſingulari, literarum fato, miſero, inquam, niſi penna huic malo mederetur. Muſæ Sirenibus pennas detrahunt, ac pennis illis coronas ſibi nectunt. Non eſt Sirenum uti pennis, garriunt enim & nihil quàm garriunt, nihil niſi ἔπεα πτερόεντα effutiunt, quæque tantùm

*In vento & rapida ſcribere oportet aqua,*

nedum ut penna conſignari debeant. Victoriæ lege, ad Muſas penna tranſiit. Hâc illæ alumnos tantùm ſuos donant, quâ (ſi forte recitantes, ut Comici loquuntur, apud iniquos judices non ſteterint, ſed exciderint) meliorem longè capiti ſuo coronam quærunt, coronam quâ apud æquos & dignos rerum æſtimatores, quique livoris & odii cauſſas procul habent, nunquam fraudantur.

Ple-

Plerúmque recenti invidiæ impares sumus & præsens gloria sæpiùs fortunæ quam virtutis est beneficium. Sed ea vis est veritatis, ut quamvis hominum improbitate depressa, tandem emergat. Qui pennam bene temperaverit, nomen consequetur,

*Auratâ semper mereat quod arundine pingi,*
*Quodque Minerva suâ scribere quærat acu;*
*Quod penna scribente grues ad sidera tollant,*
*In sola & deceat principis esse domo.*

Penna vocalior est quàm ut cubiculi alicujus, vel gymnasii parietibus includi queat, totum orbem pervadit:

*Late nomen in ultimas*
*Extendit oras, quà medius liquor*
*Secernit Europen ab Afro*
*Qua tumidus rigat arva Nilus*

Penna artium omnium & scientiarum est promaconda. Penna pacis & belli, vitæ necísque est arbitra. Penna lites serit & secat. Penna hæreditates adjudicat & abjudicat. Pennæ vires norunt pragmatici, Penna pragmaticos alit. Penna arcana prodit & celat. Pennam metuunt omnes, neque mirum, penna enim nihil non potest & pennæ obediunt omnia.

Si puer malè pennas jactavi, utique expectatione vestrâ non excidistis. Si bene, ne Icari more jactasse videar, date plausum pennis, nec me decisis pennis humilem dimittite. Procul, procul a pennâ meâ nigra abscedat fama, illam

*Sed rumor alba gemmeus vehat penna.* DIXI.

ORA-

# ORATIO IX.

## *Laudes* ATRAMENTI.

PEnnam excipit atramentum, an penna atramentum? Utrúmque & pennam atramentum & penna atramentum: quî enim pennam atramentum, nisi penna atramentum exciperet? Excipit igitur ut excipiatur, ac meritò excipit, quid enim penna absque atramento? frustra temperatur penna, nisi temperetur & atramentum. Age ergo temperemus, sed quî temperabimus? hodie adeò mollicellæ sunt aures, ut veri rasuram ferre nequeant. Temperabimus tamen, sed ita temperabimus, ut cuncta albâ signemus lineâ. Albâ lineâ? Atramento scilicet alba signabitur linea? quidni? annon ille olim facere assueverat

*Candida de nigris & de candentibus atra?*

Annon

----- νηρῆος θυγάτηρ θέτις ἀργυρόπεζα
σηπίη εὐπλόκαμος, δεινὴ θεὸς αὐδήεσσα,
ἡ μόνη ἰχθὺς ἐοῦσα, τὸ λευκὸν καὶ μέλαν οἶδε?

Sic & nos atramento albas signabimus lineas, imò & quicquid signabimus, albâ signabimus lineâ; nec tamen hîc vel sale Ammoniaco, vel Tithymalli, aut Cœparum succo, vel Rubetarum sanguine, vel rore in Solani Halicacabi baccis delitescente, vel Balænarum spermate, vel Alumine, vel lixivio è Ficûs cineribus confecto utimur. Nihil hic nobis cum Zoroastre περὶ γραμμάτων

ἀκρι-

ἀνεξίτων, nihil cum Calphurnio Basso de literis illegibilibus erit, Franciscum Niantum Hetruscum hic quoque valere jubebimus. Hæc enim furtiva visum ut fugiant, viperæ ritum plerumque imitantur, quæ niveo denticulo atrum inspirat venenum, imò ideò ferè sic signantur ut nihil nisi furvum, nihil nisi atrum, nihil nisi θανάσιμον & quovis nigro theta nigrius signent. Magnum illum historiæ naturalis scriptorem testem in hanc rem citamus qui Lib. 26. c. 6. herbæ Lâctariæ, quam alji Lactucam caprinam appellant, lacte inscripto corpore, quum inaruerit, si cinis inspergatur apparere literas narrat, *& ita quidam*, inquit, *adulteras alloqui maluere quam codicillis*: ac sane fugitiva hæc vel igne, vel aquâ, vel lacte fœmineo, vel aceto, vel cineribus vel aliis id genus, quibus recensendis immorari non lubet, fere retrahuntur. Sed solo atramento utemur, sed eo atramento quod ebur, quod chartam candefacere possit.

Quum graphio vel arborum libros, vel pugillares cereos, vel plumbum, aut alia id genus exararent, literarum ductus sæpe oculos subterfugiebant, ut qui nullo ab areâ ipsâ colore distinguerentur. Pati ergo oculos, & laborare necesse fuit, quibus recreandis colorum, quibus solis oculos pascere datum est, distinctio inducenda fuit: varii hîc colores inducti. Sed postremò tandem simplicissimi colorum, & è quibus reliqui constant, cæteris prælati, albus nempe & niger, sive

five διὰ ψιμμυθίου in nigro, five potius διὰ μέλανος in albo fcribendum fuit, idque vel naturâ ipsâ monftrante, contraria enim contrariis oppofita magis elucere videmus. Non ineleganter itaque Martialis in Apophoretis:

*Languida ne triftes obfcurent lumina cera*
*Nigra tibi niveum littera pingat ebur.*

Sed & interdum alii coloros ufurpati, ut loquutiones illæ fatis indicant, διὰ μίλτου, διὰ κινναβάρεως γράφειν, quinimo & aurearum literarum frequens apud fcriptores mentio. At hîc quoque literæ diverfo ab areâ colore pingendæ fuerunt.

E duobus autem coloribus alterum dilutiorem, alterum faturiorem, ac proinde nigri & albi rationem habere neceffum fuit, abfque quo effet, fcriptura nulla dari potuit, five divinæ, five humanæ artis opus effe fingamus. Tale fuit θαῦμα illud κρεῖττον ἢ λέγειν quod Conftantino apparuit cui πυρὸς στῦλος καὶ φωτὸς αἴγλη διαέριος εἰς σταυροῦ τύπον σχηματισθεῖσα γράμμασι ῥωμαϊκοῖς δι' ἀστέρων ἴσον ἐντυπωθεῖσιν, ἐν τούτῳ νίκα, σαφῶς διηγόρευε. Hîc cœlorum expanfum areæ & fundi, Sydera verò atramenti vicem præftabant. In areâ fcilicet obfcuriore ἀστέρων γράμματα fplendidiffimo candore elucebant (φαινομένως faltem) μεσόλευκος ergo, fi ita fas dicere, fuit literarum illarum charta: contra vero μεσομέλαινα, ut & noftra hæc quà utimur, illa cui legem infcriptam fuiffe. Recutitorum

torum gens fabulatur, qui igne nigro in ignis albi areâ exaratam fuisse volunt. Talia sunt quæ de cælestibus literis, non ita pridem linguâ vernacula Gaffarellus consignavit.

Quum ergo placuisset aream albam literis nigris, potiùs quàm nigram albis consignare, chartam, λευκώματα, σανίδας γύψῳ ἢ ψιμυθίῳ διηλειμμένας, libros Elephantinos seu codices eboreos, libros linteos seu carbasinos, membranas & alia id genus excogitarunt, quæ areæ albæ vicem fungerentur. Hinc tabellæ omnes, libelli, tituli in publico proponendi aut affigendi, ALBI nomine apud Romanos veniebant, unde *Album prætoris*, *album judicum*, *adscribi albo*, *eradi albo*, utramque apud illos paginam faciunt.

Verùm hæc aliena ab instituto nostro, quibus non de chartis, sed de atramento agere sedet. Illis itaque omissis, quibus & suus olim dabitur quoque locus, ad atramentum revertamur. Album luci, nigrum contra tenebris: album candori ac simplicitati, nigrum profunditati, βαθυφροσύνῃ & altissimæ prudentię assignarunt, unde illud poëtæ ἀμφιμέλαιναι φρένες ad summam prudentiam designandam. Idcirco nigrum albo, atramentum chartis seu λευκώμασι applicari placuit, non solùm quia hoc pacto visui consulitur, qui nec nimis diffunditur, nec nimis contrahitur, sed intra justos terminos hoc temperamento coërcetur, sed quia pulchrè quoque

que

que simplicitati cum prudentiâ convenit. Atramentum non uno statim modo, sed pro chartarum naturâ temperarunt. Atramentorum varia recensentur apud veteres genera, scriptorium nempe seu librarium, tectorium seu Pictorum, ac denique sutorium seu coriarium, quod Græci Chalcanthum appellant. Tectorium olim quoque ad scripturam adhibuere: hodie Tectorio Pictoribus, librario Typothetis relicto, solo atramento sutorio, seu potius Chalcantho utimur. Si quæris rationem atramenti librarii apud veteres conficiendi, præter magnum illud Anazarbæorum decus, præter Architectorum Coryphæum Vitruvium Pollionem, te docebit summus ille naturæ Interpres Hist. Lib. 30. c. 6. *Atramentum quoque*, inquit, *inter colores factitios erit, quanquam est & è terra geminæ originis, aut enim salsuginis modo emanat, aut terra ipsa sulphurei coloris ad hoc probatur. Inventi sunt pictores qui è sepulchris carbones infectos effoderent: sed importuna hæc omnia ac novitia. Fit enim & fuligine pluribus modis, resinâ vel pice exustis, propter quod officinas etiam ædificavere fumum eum non emittentes. Laudatissimum eodem modo fit e tedis. Adulteratur fornacum balinearumque fuligine, quo ad volumina scribenda utuntur. Sunt qui & vini facem siccatam excoquant, affirmantque si ex bono vino fæx fuerit, Indici speciem id atramentum præbere. Polygnotus & Mycon celeberrimi pictores Athenis è vinaceis fecere, tryginon appellant. Apelles commentus est ex ebore combusto*

*busto facere, quod Elephantinum vocant, apportatur & Indicum ex India inexplorata adhuc inventionis mihi. Fit etiam apud infectores ex flore nigro, qui adhæret cortinis. Fit & è tedis ligno combusto, tritisque in mortario carbonibus. Mira in hoc sepiarum natura: sed ex his non fit. Omne autem atramentum sole perficitur, librarium gummi, tectorium glutino admisto.* Hactenus Plinius, qui & atramentum nativum duplex, Melanteriam nempe nobis hic describit, & factitiorum præterea varia genera, quæ novis inventionibus locupletare nobis haud adeò defficile foret, nisi in solo atramento librario, sive veterum, sive hodierno hærere decrevissemus. Negat Plinius sepiarum θολῷ nos pro atramento scriptorio uti posse, sed & experientiâ, & veterum testimoniis refellitur.

Juvenem dissolutum & literarum studia fastidientem elegantissimâ hypotyposi nobis ob oculos proponens *Persius*, sepiæ θολὸν hunc usum præstitisse docet:

*Jam liber & bicolor positis membrana capillis,*
*Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo.*
*Tunc queritur crassus calamo quod pendeat humor,*
*Nigra quod infusâ vanescat sepia lympha:*
*Dilutas queritur geminet quod fistula guttas.*

Disertissimè *Cornutus* Grammaticus, inter paucos doctissimus, Afros ex sepiâ non ex fuligine ut cæteros atramentum conficere ait. Elegans & vetustum ænigma, quod *Ausonio* quidam adscripsere id quoque evincit:

*Aut*

*Aut adsit interpres tuus*
*Ænigmatum qui cognitor*
*Fuit meorum, quum tibi*
*Cadmi nigellas filias,*
*Mellonis albam paginam,*
*Notasque furvæ sepiæ*
*Cnidóque nodos prodidit:*
*Nunc adsit & certe modo*
*Præsul creatus literis*
*Enucleabit protinus*
*Quod militantes scribimus.*

Inter recentiores *Dalecampius* succenturiatus venit, qui Septentrionales populos nigro sepiæ, addito tantillo aluminis, atramenti loco nec incommodè scribere contendit: ac sane humor ille, præterquam quod niger est, glutinosus quoque satis est, ut chartis aptè allini possit. Cæterùm quamdiu cannis seu arundinibus scriptitatum est, atramento ex fulgine confecto scriptores usi sunt, at ubi penna calamo successit, crassius fuit illud atramentum quam ut pennâ per chartam ductâ quicquam notare posset: quærendum ergo fuit aliud quod liquidum, & paulò uberius flueret. Atramento sutorio id fieri posse viderunt. Sed dilutiores erant notæ, quàm ut commodè ac sine labore legi possent, additâ igitur gallâ quæ adstrictione suâ nigredinem illam diffluentem colligeret, imò & aliquid ad illam adderet, atramentum confecerunt, quo quidem pro ratione chartarum scribi potuit. Sed quum charta tenuior esset,

ſet, perfluebat; quum craſſior quàm ut perflue-re poſſet,

*Tum fere dilutas geminabat fiſtula guttas.*

Ideò ſpinæ Ægyptiæ lacrymam, quam nos gummi Arabicum hodie appellamus, infuſionibus ſuis admiſcuerunt, quod ſanè inter omnia gummi præſtantiſſimum eſt, ac huic rei accommodatiſſimum, ut pote quod ſemel dilutum iterum non cogatur, quod fere ſolent reliqua, ac ideò ad ſcripturam inepta ſunt. Quanquam hodie verum gummi Arabicum quod minutum eſt & vermiculatum ad nos non deferant, ſed maſſulas vel ex illo confectas, ne interpolatas, aut adulteratas dicam, vel quæ aliquam cum illo convenientiam habent, adeò ut illius uſum ſupplere poſſint. Sed ut omnia uſu, qui artium magiſter eſt, perpoliuntur, alumen additum, tum ut vividus color induceretur, tum ut faciliùs à corruptione atramentum conſervaretur. Nec ſemper liquidum confecerunt, ſed & in maſſam quandoque ſubegerunt quò faciliùs à peregrinantibus circumferretur, aquâ demum, ubi uſus eſſet, diluendum

Imò quod mirum magis videri queat, ſpeciebus iſtis ſeparatis, non ſolùm literis clandeſtinis ac fugientibus ſcribi poteſt, ſed & fugitivæ quoque retrahuntur. Si ſolâ gallarum infuſione ſcripſeris, utique exſiccatæ literæ non apparebunt, ſed mox illas retrahes, ſi chartam chalcantho aquâ diluto perleveris, & viceverſâ, ſi chalcantho

albo ſcripſeris, chartam verò gallarum infuſione madefeceris.

Aſt ubi artium pulcherrima & nobiliſſima, Typographia nempe, orbem Chriſtianum ditavit, typis vel argenteis, vel ſtanneis, vel plumbeis id genus atramenti hærere commodè non potuit. Atramentum itaque librarium veterum ex parte revocatum eſt, illi enim conficiendo fuliginem quidem adhibent, ſed oleo nucum permiſtam, adeò ut illud & tenaciſſimum evadat, & chartis facillimè, notiſque indelebilibus imprimatur, nec tamen diffluat: quum atramentum ſcriptorium noſtrum & diffluat & penitus deleri poſſit. Si bene temperatum, quamquam deleatur, non deletur tamen, nec deleri poteſt; quî deleatur illud quod *victuris dat nomina chartis*, quo chartæ bene illitæ, ut pereant, ut deleantur, nunquam delentur?

Delebuntur quidem notæ ex chartis, ſi forte deleantur: at non egregia animi ſenſa illis conſignata ex hominum animis, ex hominum memoriâ, unquam delebuntur. Delebuntur quidem putida commenta & pædagogicæ, imò pluſquam pædagogicæ confidentiæ abortivi fœtus, at non defæcati atramenti defæcata monumenta: atramentum quo illa conſignata fuere tenacius eſt, quàm ut ullâ arte elui queat σὺν μέλανι πάντα ἰσχύει κάλαμος, ſed ἄνευ μέλανος οὐδὲν ἰσχύει κάλαμος, abſque atramento nihil aut parum juvat penna. Non hîc Juriſconſultos, non Medicos, quan-

quanquam & id possim, in partes voco. In pennâ, vocavit antecessor meus, at ego hîc nec voco, nec vocare opus habeo; quicquid enim pennæ ille suæ adscripsit, atramento meo longè potiori jure convenire quis neget? Vivit illa & vixit. Vivet atramentum meum. Vivet, etsi meliùs temperari potuerit, & ab aliis sæpe temperatum fuerit

*Non, si priores Mæonius tenet*
*Sedes Homerus, Pindaricæ latent,*
*Ceæque, & Alcæi minaces,*
*Stesichorique graves Camœnæ.*
*Nec, si quid olim lusit Anacreon,*
*Delevit ætas.*

Si quis, non dicam sçævâ, sed atrâ manu hæc tractaverit, titionum quidem & elogiorum carbonibus, quanquam ipse quovis carbone nigrior, pro merito non excipietur, attamen notam illam & labem non effugiet quam atramentum imperite manu tractatum remittit. Si absolvatur, ut bene cum illo agatur, non nisi atramento lutorio absolvetur. Si quis vero candidæ mentis opus, candidâ mente, ut par est, exceperit, illum inter bonos αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ, ut sydera in areâ cœlesti effulgere optamus, vovemus, DIXI.

# ORATIO X.

## *Laudes* CHARTÆ.

PEnnam atramentum excepit, ac suô sibi jure excepit: Atramento succenturiata nunc venit charta. Chartam itaque non perdemus, si chartæ dicendæ chartarum aliquid impendamus, nec si quid minùs aptè chartæ illeverimus, eo magis charta malè disperdita dici debebit. Chartis ergo chartam promamus, non doctis illis quidem & laboriosis, sed chartis tamen: quis enim à nobis doctrinam & laborem requirat? ætatula nostra istuc non permittit, ludere permittit, ludemus ergo, & lusum nostrum quâ estis animi æquitate boni consuletis.

Chartæ originem siquis requirat, idem & literarum originem requirat, ac cum literarum origine, rerum omnium simul primordia. Ab ipso rerum creatore Deo sermonem accepit homo, ac cum sermone rationem, judicium, ἀγχίνειαν, mentis agitationem & solertiam, quæ non cogitatione solùm, sed & variis actionibus vim suam quotidie proderet, ignea quippe ac enthea vis illa mentis non poterat se non exerere. Quum corpus in lumine umbram facere videret, rerum adumbratio protinus illi in mentem fuit, atque hinc imagines animo conceptæ, dein expressæ, propositæ, prolatæ, picturâ oculi teneri cœperunt, atque illi suus fuit honos.

Quum animi sensa æquè cum absentibus ac cum

cum præsentibus communicare necessum plerumque judicaret, excogitandæ fuerunt imagines quæ absentia præsentia facerent. Pronuntiationis variæ soni ultra viginti solerter animadversi, singulis suæ figuræ assignatæ, ex quarum multiplici combinatione vocum omnium imagines repræsentatæ. At figuræ illæ nonnisi in subjectâ materiâ exprimi potuerunt: quærenda fuit illa, quæsita est: quæsita ac inventa. Hinc columnæ illæ duæ altera lapidea, altera latericia quibus prisci ævi homines ante *κατακλυσμὸν τὰ εὑρημένα ἐνέγραψαν*, artes à se inventas inscripserunt. Latericiam aquarum vi periisse refert *Josephus* Orig. Iud. l. 1. lapidem verò suo adhuc tempore in Syria superstitem fuisse. Sic Ægyptii qui se hominum primos perhibebant, hieroglyphica sua seu literas sacras Pyrrhopœcilo, marmori nempe durissimo, insculpere solitos fuisse author est *Plinius*, Hist. Nat. Lib. XXXVI. c. 8. *Herodotus* quoque in Uraniâ tradit Themistoclem, tempore Xerxis, literas bene longas in lapides incidisse, quas postero die Iones ad Artemisium venientes legerint. Æs quoque, ferrum, plumbum & alia id genus ad hunc usum formaverunt.

Verùm quum incommoda hæc humano generi evenirent aliud quippiam excogitandum & incommoditate illa sublevandi fuerunt homines. In illorum ergo locum successere tabellæ ligneæ, vel nudæ, vel cera oblitæ, codices eborei, arborum libri

ſeu cortices, Palmarum ac Malvarum folia, Elephantorum omenta quę librorum elephantinorum nomine veniunt, membranæ, libri lintei & carbaſini, draconum & aliorum id genus animantium inteſtina, Hœdorum, Caprarum, Ovium, Vitulorum imò & Aſinorum pelles, ut hodie in palimpſeſtis noſtris videre eſt. Sed ferro, ære, plumbeis voluminibus, tabellis ligneis publica monumenta conficiebantur, privata cæteris quas recenſuimus rebus. Quum publica monumenta dicimus, intelligimus ea in quibus hiſtoriæ, libri ſacri, annales, leges, ſenatuſconſulta, edicta exarari ſolebant, ut apud Athenienſes Solonis leges in axes ligneos, apud Romanos duodecim tabularum in æs inciſæ fuerunt & faſti Romanorum marmori inciſi, *Alexandri Farneſii* beneficio Romæ adhuc hodie viſuntur, illi ipſi forte de quibus Suetonius libello de claris Grammaticis. Id ſane Heſiodi ἔργων καὶ ἡμερῶν dignitati peculiariter tributum, ut in plumbeis laminis deſcripta in Bœotia aſſervarentur, ut contra referunt Conſtantinopoli, regnante Baſiliſco, incendio nobilem bibliothecam conflagraſſe, in qua centum viginti millia librorum repoſita fuerant, inter quos fuiſſe perhibetur draconis inteſtinum longitudine pedum centum ac viginti habens inſcripta literis aureis *Homeri* poëmata Iliadem & Odyſſeam, cum hiſtoria rerum ab heroibus geſtarum.

Quum hoc incommodo laborarent folia, ut pauca admodum continerent, ac facilè turbari,

diſ-

dispergi ac disperdi possent, ut Virgilianus Æneas Æneid. VI. satis innuit

*—— Foliis tantum ne carmina manda,*

*Ne turbata volent rapidis ludibria ventis:*

Folia illa cœperunt siccare primò, dein texere ac conglutinare, quod in foliis malvaceis præsertim factitatum, quæ palmarum foliis ad scribendum deteriora erant. Vix enim tolerandis calamorum mucronibus erant, nisi priùs glutine curarentur. Id utique genus chartæ antiquissimum fuit. Hinc *Cinna* antiquus Poëta mittebat sodali suo *Aratea Phænomena* in malvarum foliis descripta, non quod liber ille rarus esset, qui eo tempore vulgatissimus erat, sed quia rara charta in quo scriptus. Tabellis quoque, vel eboreis, vel citreis, vel buxeis pro facultatum modulo usi fuere. Lautiores eboreis vel citreis, tenuiores buxeis utebantur: has cerâ inducebant, unde frequenter apud Veteres per ceras, ipsas tabulas ceratas intelligere necessum est, in quibus ut & in corticibus seu libris arborum literæ stylo aut scalpro radebantur vel cavabantur, quod & in ferro, ære vel marmore fieri solebat, non eminentibus & expressis ductuum figuris, sed depressis ac veluti infossis, quanquam & hic interdum area deprimeretur, literæ protuberarent, quod cælaturæ genus anaglypha veteres appellavere. Utebantur quoque tabellis ligneis gypso vel cerussâ dealbatis, in quibus literæ ex encausto vel atramento scribebantur. Græci λευκώματα, σα-

δας λελευκωμένας, ἢ γύψῳ διηλειμμένας appellabant. *Album* hujuſmodi tabula Latinis dicebatur, unde *album prætoris*, *album citharædorum*, *album judicum*. Inde, *adſcribi albo judicum* & *eradi albo judicum*.

Uerùm hæc omnia in deſuetudinem paulatim abierunt & membranis, ac chartis locum fecerunt. Elephantorum enim omenta tanta copia haberi non poterant, ut ſcriptoribus omnibus abundè ſuppeterent, libri lintei magnis difficultatibus ac incommodis obnoxii erant.

Utræ vero antiquiores fuerint membranæ, an chartæ adhuc ſub judice lis eſt. Chartam Alexandri Magni victoriâ, conditâ in Ægypto Alexandriâ, repertam ex Varrone refert Plinius Lib. 13. ſed huic narrationi idem contingit, quod Achæorum muro apud *Homerum* de quo *Geographus* lib. 1. ὁ πλάσας αὐτὴν ἠφάνισεν. Idem enim paulo poſt ait *Caſſium Heminam* vetuſtiſſimum Annalium authorem prodidiſſe Cn. Terentium ſcribam agrum ſuum in Janiculo repaſtinantem offendiſſe arcam in qua Numa qui Romæ regnavit annos præter propter trecentos ante Alexandrum, ſitus fuiſſet. In eadem libros Numæ repertos & hos fuiſſe è charta. Sibylla quoque tres libros chartaceos ad Tarquinium attulit. Præterea Mutianus ter Conſul prodidit ſe legiſſe quum præſideret Lyciæ, Sarpedonis à Troja ſcriptam in quodam Templo epiſtolæ chartam.

Chart ſan e antiquitatem prodit ipſius Etymon,

*Chir-*

*Chirtas* enim antiquâ Ægyptiorum dialecto *chartam* seu *byblum* significat, quod & hodie Arabibus retinetur, quibus *chartas* dicitur, quæ fit ex Burdi. i. papyro, sive junco Ægyptio. *Chirtas* quoque illis est vestis Ægyptiaca, ex byblo nimirum contexta, quò & nomine omnem cujusque rei superficiem designant. Nam quod *Nicolaus Perottus*, Episcopus Sipontinus, *Chartam à Char* urbe Tyra, à cujus nomine Dido urbem quam condidit Chartaginem postea appellarit, deducit, nugæ sunt nugerrimæ, etymon illud non est eteonymon. Quod etiam quidam Chartarum nomen ex eo natum volunt, quòd in frontibus Epistolarum apponerent χαίρειν, adeò ut Epistolari βίβλῳ nomen τοῦ χάρτου primò inditum fuerit; unde chartam epistolarem *Martialis* vocat *chartam salutatricem*, veriverbium quidem est ingeniosum ac eruditum, sed verbum tantùm, non autem verum, siquidem à vero procul nimis abludit. Ægyptiacæ ac proinde antiquissimæ vox est originis.

Pergamenas sanè recentiores esse constat, de membranis verò in genere non liquet. In Psalmis pennæ quidem, seu calami fit mentio & ejus calami quo notarum præpetum minister uteretur: Apud Jeremiam, atramenti, voluminis, imò & scalpelli. Atramentum utique, calamus, volumen, imò & scalpellum nonnisi membranæ vel chartæ propriè competunt. Ut ut sit nobile profectò fuit, imò nobilissimum chartæ inventum ac mul-

multis nominibus membranâ & commodius & utilius

Texebatur autem charta ex *Papyro*: Papyrus autem seu Papyrum planta fuit Nilotica ac solis Ægyptiis familiaris, è juncorum genere, cujus ea erat natura ut inter meditullium seu partem lignosam & extremum, externúmque corticem variæ intercederent philyræ, quæ acu ab invicem dividebantur, uti hodie in cæparum tunicis ac involucris fieri posse videmus. Quò magis aberant philyræ à cortice eo tenuiores erant, & ad chartam conficiendam aptiores: quo magis ad corticem accedebant, eo crassiores ac proinde ineptiores. Ex tenuissimis philyris optima & tenuissima charta texebatur, ex minùs tenuibus, minùs bona.

Modus autem illius conficiendæ hic fuit. Philyræ primum tam longæ quàm longum papyrum unde erant exsectæ poterant esse, resectis utrimque præsegminibus, in tabula vel Nili aqua vel glutino madente extendebantur & statuebantur, & hæc prima scheda supinæ tabulæ adlita, vicem staminis vel staminis in tela extensi obtinebat. Super istas philyras directas in tabula & extensas aliæ deinde transversæ collocabantur & adlinebantur in modum cratis, vel telæ ubi subtemen stamini transversum inseritur per radios textorios, hinc & texi charta dicebatur quod in morem planè telarum texeretur, & stamen suum, suumque subtemen haud minùs quàm tela habe-

beret, nisi quòd in chartis subtemen imponebatur stamini, & glutini ope ad stamen connectebatur, in tela autem subtemen stamini inseritur & per medium decurrit. Postquam autem utraque scheda supina scilicet, & transversa ad eum modum contexta, subteménque stamini connexum erat & Nili turbido injecto liquore conglutinatum, prælo premebatur. Exemptæ deinde prælo plagulæ, crate integrâ manente, ( utraque enim scheda plagulam conficiebat ) sole siccabantur, atque inter se jungebantur, hoc est in scapum digerebantur. Plagulæ enim seu πλάκες erant, quæ folia hodie vocamus, ut scapus quem manum papyri. Racanæ seu fasces pluribus constabant scapis. Plagulę olim non plures vicenis, hodie vicinis quinis in scapo non ponuntur. Sequiori ævo denæ tantum poni solitæ, hinc chartæ decades. *Scapus* seu σκῆπος baculum propriè & fustem seu ramum significat, unde chartæ plures in unum volumen complicatæ & convolutæ, *Scapi* nomine apud Latinos venerunt, quod baculi crassi ac rotundi similitudinem prę se ferrent, unde fax Satyrici joco de Anticatonibus. Ideo σκάπος, κανὼν, τόμος, κόνδαξ Synonymę sunt voces quibus quum propriè ramus vel baculus designetur, volumen etiam chartarum intelligitur, ut & χάρτης non pro plagula tantum chartacea, sed etiam pro tomo & volumine seu scapo usurpatur. A schedis vero illis papyri quarum altera staminis, altera subteminis vicem fungebatur, *Schedæ* vocitatæ

tatæ fuerunt illæ quibus extemporalia ſcripta & nondum emendata adlinebantur, & in averſa parte hoc eſt in tergo ſcribi & exarari ſolebant, hinc Opiſtographorum nomen. In Opiſtographis enim & adverſariis rationes & diurna ſua perſcribebant quibus utramque chartæ paginam occupabant adverſam & averſam: ab adversâ dicta adverſaria, ab aversâ Opiſtographa. Studioſi quoque & literati homines primas ſuas curas in ejuſmodi ſchedis opiſtographis conſcribere ſolebant, quas poſtea emendatas in mundiorem chartam, & quæ ab una tantum, adversâ nempe parte ſcribebantur, tranſferendum curabant, quod obtinuit in chartis illis ex quibus librorum volumina compaginabantur. Schedæ poſtea quoque dictæ ſingulares plagulæ ex ſcapo chartarum revulſæ, quibus committebant quicquid ſubitâ & tumultuariâ ſcriptione commentati eſſent, quod emendatum poſtea in mundiorem chartam regerebatur.

Libri membranacei, qui maſſæ nomine apud Latinos & σωματίꝟ apud Græcos ideò veniunt, ex multiplicibus tabellis & foliis ex utraque parte ſcriptis conſtruebantur & per quaterniones compingebantur, haud ſecus ac noſtri libri hodie ſolent, qui ex multis conſtant foliis, aliis ſuper alia ſtructis ac inter ſe compactis, ut & pugillares ac codices eborei ex pluribus tabellis conſtabant, quæ Græci πῖυχία appellant, unde Latinis, duplices, triplices, quincuplices dictæ, Græcis

Græcis δίπλυχα, τρίπτυχα, πολύπλυχα & primum libri folium τὸ πρῶτον πλυχίον appellatur, ut Martiali, prima tabella.

*Quam brevis immensum cepit membrana Maronem.*

*Ipsius vultus prima tabella gerit.*

Longè aliter se res cum chartis habebat quæ in rutulum volvebantur & quarum facies tantùm interior, non etiam exterior scriptis opplebatur, plagulis ad plagulas agglutinatis, & in longam paginarum seriem extensis. Exterior pars & aversa nihil scripti continebat, sed interiorem tantùm complicando & convolvendo operiebat. Prima plagula *protocollon* appellabatur, summa seu extrema *eschatocollon* & *eschatocollion*, de quibus egregia multa apud Veteres observare est, sed temporis iniqui angustiis excludimur.

In voluminibus autem illis evolvendis, partem inevolutam mento subjiciebant, primorem vero partem subinde explicantes ambabus tenebant manibus, simúlque legebant, eam interim quæ nondum erat explicita, sub mento convolutam tenentes. Hinc de charta virgine & quæ adhuc intacta erat, dicebant eam mento tritam non esse, horridior quippe fiebat manibus & mento trita, excitatis inarum filamentis & fibris.

Chartarum varia fuere genera, *Augusta* quæ & *Hieratica prima*, *Livia* quæ & *Hieratica secunda*, *Hieratica tertia*, *Amphitheatrica*, *Saitica*, *Taeniotica*, *Emporetica*, ac denique, *Claudia & Fanniana*.

Augu-

Augusta tota ex primis philyris contexta erat, Livia tota ex secundis, Hieratica ex tertiis, Amphitheatrica ex quartis & ita deinceps ordine, Saitica, Tæniotica, & Emporetica quæ ex ultimis philyris & cortici proximis conflabatur, ideoque ad scribendum minime habilis, involvendis mercibus serviebat. At Claudia a Claudio inventa & denominata non tota ex primis ut Augusta, nec tota ex secundis ut Livia, texebatur: sed subtemen habebat ex secundis, stamen vero ex primis. Fanniana à concinnatore seu interpolatore Fannio nomen traxit qui chartam Romæ glutino interpolabat.

Huic veterum chartæ successit nostra ex linteis concerptis, contusis, contritis, ac putrefactione in pultis, cui glutini aliquid admiscetur, modum redactis, ac in formas conjectis, unde exeunt singulæ plagulæ quæ ut papyraceæ olim, sic quoque hodie siccantur, antequam usui esse possint, nisi quod non ut papyraceæ sole, sed in umbra in linea, aut transenna suspensæ siccantur, non autem aliæ aliis superstratæ, ne humor superstratarum in subjectas cadat, atque ita putiscant. Ac ut in illius prima plagulâ peculiarem notam præferebat, quo Comite largitionum, sub quo erant *chartaria*, quo tempore & à quo præparata illa fuisset charta, ita hîc singulæ plagulæ unam eandémque notam præferunt ex qua sciri potest quis eas confecerit ac cujus sint notæ, probæ an rejecticiæ. In illis protocollon, ut jam perscriptum, ad

ad cætera inutile erat, in istis quum nota vix appareat & ejusdem cum charta coloris sit; & cum ipsa ita formata, ut tenuior tantùm ea parte sit charta visúmque transmittat, character ille nec scribenti officere potest, nec legentem impedire.

Chartæ hujus nostræ ætatem si requiras, frustra requiras. Sanè sæculis aliquot typographiam præcessit, & constat illâ tempestate quâ *Eustathius* Archiepiscopus Thessalonicensis florebat, chartarum è papyro texendarum abolitum pridem fuisse modum. Addam & illud hodie etiamnum hîc apud nos exstare Homeri Manuscriptum in Charta nostrate, quod octingentorum annorum antiquitatem excedat. Sed exactum chartæ istius conficiendæ modum, ne in commoda vestra peccemus, nunc omittimus.

Chartæ commoda ac utilitates si percurramus, actum agemus. Nihil enim eximii in se penna habuit, nihil atramentum, quod totum suo sibi jure charta non vindicaverit. Ne tamen laborem subterfugisse videamur & nos quoque in partes descendemus

*& chartam laudare juvabit.*

Chartam, inquam, quæ Latinis quidem auribus sexus sequioris judicata est, sed à Græcis exactis ac peritis rerum æstimatoribus inter mares relata *ὁ χάρτης, hæc charta* ut *ὁ γαυσάπης hæc gausapa ὁ μαργαρίτης hæc magarita, ὁ φαινόλης hæc penula* & alia *ὅσα ψαμμός τε κόνις τε.* Absque enim illa foret quid penna? quid atramentum?

tum? leges, senatusconsulta, rescripta, sapientum responsa, jura divina ac humana, historiæ, libri prophani, sacri omne genus ubinam locorum hodie comparerent? Scitè admodum L. 13. c.11. *Plinius, Chartæ usu maxime humanitas vitæ constat & memoria.* *Cassiodorus* vero l. 2. *Chartæ*, inquit, *humanorum actuum servant fidele testimonium*: hæ tergo niveo, ut alius ait, aperiunt amplissimum eloquentibus campum, Theologis, Jurisconsultis, Medicis, omnibus denique illis qui melioribus literis tincti diurnis nocturnisque impallescere chartis vitâ satiùs ducunt; qui tam multa, tamque sæpe scribunt ut exsiccando atramento, quo scriptioni mora nulla fiat, chartâ sed chartâ bibulâ opus habent, qui ad lucernam vel candelam elucubrantes, si sebi aliquid in vestes inciderit, chartam bibulam illico poscere necessum habent; chartam illam bibulam quam interdum medicorum filii pedum, vel capitis humiditati levandæ adhibent; chartam illam quam frigidâ vel etiam salivâ, maceratam vibicibus imponunt, livori vel sedando vel tollendo; chartam illam quam liquorum defæcationibus ac percolationibus, quas *filtrationes* hodie barbari appellant, adhibere solent; chartam illam ex qua in cineres redacta conficiunt, oleum causticum quo, ulcera & aliud quo palpebræ & oculi affecti inunguntur.

Quid si ex Apollinis in Martis castra transeamus, annon chartam salivâ maceratam & denti-
bus

bus compressam earumdem cum globuli plumbei sclopo explosi viribus, virium esse mirabimur? Quid chartam stipatam ac pulvere pyrio fartam, quæ vi ac impetu suo, ubi ignem semel concepit, nubium summa incredibili celeritate, nec sine stupendo ac horrendo fragore penetrat? An monomachia, vel singulari certamine qui depugnant, scapum unum aut alterum chartæ stipatum, acúque compunctum, non gladiorum solùm, sed & sæpe sclopoprum impetum inhibere ignorant?

Sed an limitibus istis coërceri se patitur charta? Minimè gentium, suum etiam illa inter mechanicas artes, ut & papyrus olim, usum obtinet. Papyrus unde charta veterum, vinculorum usum præbebat, Cannabis unde charta nostra annon idem præstat? Papyrus tam Ægyptiaca, quàm communis & indigena quæ scirpus erat, ad ellychnia usui erat, & ex utraque candelæ fiebant sæpius tamen ex ista quam ex illa, annon & eandem operam præstat nobis necessitate ita postulante, non solum cannabis, sed & ipsa charta. Charta & glutinum quo roboratur charta, inter edulia quoque, ex illius præscripto cujus vis est insuperabilis & cui nulla ponitur lex merito reposueris, ut & papyrum olim cum glutino edule fuit apud Ægyptios, unde Firmus apud *Vopiscum* gloriatur se tantùm habere de chartis ut inde exercitum alere posset, hoc est, se tantùm chartarum habere, ut earum papyro priusquàm chartæ

ex eo fierent, & glutino quod in eas conficiendas impendebatur, exercitum alere posset. Ex quo æstimandum relinquitur quantum chartarum habuerit.

Ut glutino tamen & chartæ gulæ irritamenta anteponant lurcones, æstivi caloris vitandi gratia pileos chartaceos illi non repudiaverint, nec repudiavere majores nostri. Thecæ quibus pennæ scriptoriæ, quibus cultelli reponuntur, quibus milites pulveris pyrii modulos reponunt ac metiuntur nonne chartâ sæpiuscule constant? Fenestrarum clathris obturandis, nonne chartam loco vitri frequenter adhibemus? Imò charta & vitro & cornu litem movet in laternarum structura, adeò ut non amplius hodie cum Plauti Mercurio in Amphitruone dicendum sit, *quo ambulas tu qui Vulcanum in cornu conclusum geris*? Sed potiùs, qui Vulcanum in charta conclusum geris.

Vidimus & quod paucis fortasse fidem faciet, integram Metamorphosim Ovidianam solâ charta ex arte concisâ tam scite expressam & affabre effictam, ut vel ipsos Ouidii versus legere, vel scitam aliquam picturam videre tibi videreris. Quid si chartam in illius rerum Dominæ, Pecuniæ nempe locum, etiam successisse & illo veluti coagulo commercia omnia contineri dicamus? Sanè præterquam quod cautionibus, chirographis, apochis, securitatibus, diplomatibus ac hujusmodi sexcentis aliis id satis supérque liquet, refert ex abundanti *Haitonus* apud Cathainos Ta-

a-

taros nummos de charta in formam quadratam secta, cui regale signum impressum, fieri solere. Chartæ igitur ut & pecuniæ omnia obedire, par est ac consentaneum.

Alia afferrem nisi hæc pondere suo cætera omnia deprimerent; non enim hîc chartam illam crassiusculam memorabimus, quam librorum tegminibus compactores impendunt, multò minus chartas illas quibus aleones tempus meliùs alibi collocandum miserè terunt, usum enim non abusum chartarum tangimus, non cordulas madida papyro tegi, thus piper, & alia id genus chartâ amiciri dicemus. Charta enim virgine id fieri non suerat, sed chartis quas vocant ineptis, Volusi annalibus, carminibus scombros metuentibus, absit ut chartæ tribuamus, quæ conscribillantium vitio meritò debentur. Nihil cum illis commune habet charta docta, ingeniosa, laboriosa, acuta, dentata, Illa neminem inornatum sileri, illa nullius labores perire patitur, ut ipsa æterna non sit, æternam tamen iis quibus vult famam, æternam quibus non, ignominiam conciliat. Illorum nomina non æneis tantùm, non plumbeis chartis, sed aureis insculpuntur: istorum vero quasi in cinere, quasi in vento, quasi in liquida aqua conscripta æternum pereunt: sed næ ego facetus sum, qui puer puerilem lusum affectans altiora quàm par est sapere volo. Voti mei summam abunde consequutum me arbitrabor, si chartam meam & favor vester benignè excepe-

rit, & posteris in posterum nullâ lentigine, nullâ maculâ infectam, nullâ infertâ inâ, nullâ liturâ literas deformatam charta, sed charta doctis digitis notata

*charta,* inquam, *loquatur anus.* DIXI.

*Hieronymus.*

Ep. ad Nitiam p. 218.

*Rudes illi Italiæ homines, quos & Cascos Ennius appellat qui sibi, ut in Rhetoricis Cicero ait, ritu ferino victum quærebant, ante chartæ & membranarum usum, aut in dedolatis è ligno codicillis aut in corticibus arborum mutua Epistolarum alloquia mussitabant. Unde & portitores earum tabellarios & Scriptores à libris arbeorum Librarios appellavere.*

---

## ORATIO XI.

### *De* PERSEVERANTIA.

INter varias artes quibus ad eruditionis culmen pervenitur, obsequium, modestia, docilitas, attentio, diligentia non postremum locum obtinent. Verùm omnia in vanum recidere necesse est, nisi adfuerit perseverantia. Hæc quippe illa est ars qua tanquam coagulo reliquæ continentur & absque qua foret cæterarum omnium nobis fructus periret. Citra perseverantiam nihil ars, nihil studium, nihil profectus ipse profuerit, ut magni illius Fabii verba usurpem, *citra perseverantiam, nulla erit obsequii merces, nulla beneficii gratia,*

*gratia, nulla fortitudinis laus.* Quare de illa, bona vestra cum venia, Auditores, verba facere animus est, dummodo patientem dicenti aurem accommodetis, quod eo patientiùs facturos vos arbitror, quo minùs patientiâ vestrâ abuti decrevi. Nolo enim longo vos sermone morari, antiquiora sunt mihi commoda publica, quàm ut tædio meo in illa peccare velim. Contraham ergo & compendii faciam quicquid illud est.

Priusquam aliquid gravis ac serii, aliquid momentosi incipiamus, operæ pretium nos facturos sat scio si diu ac seriò consultaverimus an utile, an honestum, an facile factu sit; an nihil alacritatem illam, illam animi promtitudinem quâ id aggredimur remorari possit, adeò ut temerarium incœptum comes pœnitentia subsequatur. Si nulla id genus difficultas sese nobis obtulerit, tunc demum, ut Chilon præcipit, manum operi admovere, nec ante desistere debemus quàm optatum exitum consequuti fuerimus. Id in omnibus hominum negotiis ut locum habet, ita multò magis in utraque militia & castrensi & togata.

Sed ut ordine procedat Oratio nostra, primùm ostendemus qua in re vera Perseverantia sita sit, & quantùm levitatem antecellat; deinde nullam difficultatem Perseverantiæ cursum sufflaminare debere, hujus enim rei ignoratio causa est plerisque levitatis, quâ sibi maxima creant mala.

Perseverantiam a perseverando (quod Græci

ci per διαμένειν, ἐμμένειν & ὑπομένειν efferunt, unde διαμονὴ five ὑπομονὴ) dictam volunt, quasi in vero perstare, nec ullis unquam machinis à vero dimoveri soleat vera perseverantia, gratiâ, illecebris, diuturnâ morâ, in summâ difficultatibus omnibus, ac impedimentis quibuslibet severè posthabitis, longum valere jussis. *Est enim*, inquit Varro, *perseverantia, quod in quo oporteat manere, si in eo quis perstet*, vel ut scite admodum expressit M. Tullius, *in ratione bene institutâ stabilis & perpetua permansio.* In bono quippe, virum bonum permanere, ut contra à malo absistere oportet.

*At mala sunt vicina bonis, errore sub isto*
*Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.*

Mala sub specie boni nobis quotidie illudunt, illa amplectimur, in illis pertendimus. Pertendimus sanè, sed non perseveramus. Perseverantia enim à ratione bene institutâ sese nunquam spernit. Ratio bene instituta verum sibi semper bonum proponit, non speciem boni duntaxat: species fluxa & caduca est, interire ac reparari promiscua, nullibi stabilibus nixa fundamentis, sed incertissimo flatu fortunæ huc illuc acta, eos quibus blandita est, quosque propensiore favore delinivit, improviso decursu destitutos profundo malorum miserabiliter immergit. At bonum, æternum ac immortale est, nullis manibus labefactatur, nullis casibus obnoxium est; manet, mansurúmque est in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum, & ut manentibus

bus præsto esse solet, ita fugientes nunquam deserit. Qui speciem boni pro bono inconsultò sectantur, cum Ixione nubem pro Junone amplexantur. Inglorios & ignobiles oblivio tandem obruet. Qui vero in bono semel electo constanter permanent, non solùm posteritati narrati & traditi superstites erunt, sed vitæ etiam illius beatæ in cœlis æternùm exigendæ participes.

Quis hîc itaque sibi perseverandum non duxerit? si ædes nobis contigerint parum salubres ac commodæ, quantumvis splendidæ ac speciosæ de migratione statim cogitamus. Contra si salubres, si commodas nacti fuerimus, ibi sedem figimus, ibi cum Petro dicimus καλὸν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι. Si de migratione mentio injiciatur, importunum illud & ingratum nobis accidit, vix, ac ne vix quidem, id aures nostræ accipiunt, ægerrimè inde divellimur, stabilem & perpetuam nobis illam optamus mansionem. A bene institutà ratione recedere religioni ducimus. Recte deliberata abjicere non solùm turpe, sed etiam parum sibi constantis animi nobis semper esse videtur. Nec sane perseverantia absque constantia esse potest: imò constantiam perseverantiæ matrem merito dixeris. Nullus enim in opere suscepto perseverabit, qui in proposito constans non fuerit. At.

*Iustum & tenacem propositi virum*
*Non civium ardor prava jubentium*
*Non vultus instantis tyranni,*

*Mente*

*Mente quatit solidâ, neque Auster*
*Dux inquieti turbidus Adriæ,*
*Nec fulminantis magna Iovis manus.*
*Si fractus illabatur orbis*
*Impavidum ferient ruinæ.*

Constantiam hic requirimus non pertinaciam, constantem non pertinacem. Non enim qui propositi tenax est, continuò constans censendus est. Sunt enim quorum animo, ubi semel sedit pervicax opinio, de vitâ potius quàm de sententia decedant, propositi quidem tenaces, imò tenacissimi, sed illius non recti verùm stolidi, & ad rationis bene institutæ normam parum amussitati, cupiditate, superbiâ, arrogantiâ, vano inanis persuasionis tumore usum mentis & rationis in illis vincente. Quemadmodum arquatis & veternosis lutea quæ non sunt, æquè ut lutea videntur; sic illis alba quæ sunt, propter atrum quem traxerunt lolliginis succum, nigra apparent, quippe qui cæteros omnes præ se contemnunt, homines *ἰδιογνώμονες* sui juris & sententiæ, qui nihil albâ signant lineâ, nihil rectum putant, nisi quod ipsi faciunt; quos quò contumaciùs rectè suadentium consilia repudiant, eò magis aspernamur ac rejicimus.

Nec minùs desultoriam illorum levitatem & inconstantiam aversamur, qui in proposito quamvis honesto, qui in officiis quantumlibet rectè susceptis nunquam perseverant, sed contra omni pietatis & virtutis, omni honesti ratione posthabitâ,

bitâ, sententiam subinde mutant, nec tantùm mutant, sed redeunt & in ea quæ deseruerunt ac damnaverunt revolvuntur, perpetuò vacillantes, perpetuò æstuantes, velut

*Minuta magno.*

*Deprensa navis in mari vesaniente vento,*

Quovis Proteo, quovis Vertumno mutabiliores. Utrisque nihil stultius, nihil magis improvidum, nihil inconsideratius, imo nihil dementius. Illi enim homines se esse, quod extremæ stultitiæ argumentum esse nemo non agnoscit, obliti, quid officii sui sit, quid naturæ, dediscunt: isti vero, ut ait Polybius, dum res è longinquo & negligentiùs, quàm par est intuentur, etiam ea quæ fieri nequeunt concupiscunt, propter magnitudinem spei quæ ostentatur, cupiditate illis glaucomam ob oculos objiciente. Verùm ubi ad rem propiùs est ventum, difficultatibus atque impedimentis quæ occurrunt deterriti temerè rursus inceptis absistunt, & mutatione voluntatis indicant animum natare alicubi, atque aliubi apparere; prout fert ventus. In quo stultitiam non solùm produnt, sed & malam mentem dum inter simulationem virtutum, amorémque vitiorum assiduè jactantur & fluctuant.

Utrosque quantum potest procul habebit vir sapiens. Nam ut pertinacia illa, ut levitas illa stultitiæ indicium sunt indubitatum: ita perseverantia sapientiæ. Quid enim est sapientia? semper idem velle, atque idem nolle: virtuti, tanquam statua

basi.

basi firmiter insistere, de vigore animi nunquam remittere, calcatisque turbinibus fortuitis adversus omnem difficultatem uniformi durare proposito. Hic enim sese sapientia, hic prudentia, hic patientia, hic tolerantia, hic sese magnaminitas, fortitudo, & virtus exerit. Sapientia ac prudentia omnia cogitant ac prævident & animum adversus ea quæ possunt evenire firmant; patientia æqualiter sese gerendo sævientem fortunam in adjutorium sui pudore victam convertit; tolerantia difficultates omnes ferendo leviores efficit; magnanimitas stat recta sub quolibet pondere, neutri se fortunæ submittit, nulla illam res minorem facit, nihil illi eorum quæ ferenda sunt displicet; fortitudo ac virtus victoriam tandem reportant. nihil enim intentatum relinquunt, nihil tam altè natura constituit quo non enitantur. Inconstantia, levitas, temeritas, animi incerti & fluctuantis vacillatio, otium, mollicies, delitiæ nimiæ, ignavia, laborum fuga, velut Sirenes primo quidem aspectu invitant, sed invitant ut in præcipitium impellant, escam ostentant sed hamatam, blandiuntur sed ut perdant.

Fortuna fortes metuit, ignavos premit. Unde abest labor, inde quoque laus abest, hanc enim labore non mollitie & ignaviâ, hanc constantiâ & perseverantiâ, non levitate & inconstantiâ. Deus hominibus vendit. Non ego gubernatoris virtutem laudaverim, etiamsi portum feliciter subeat, qui ventos habet secundos, qui pla-

placido mari vehitur, sed ille mihi clarus, ille Deo proximus habetur, qui quamvis stridant funes, curvetur arbor, gubernacula gemant, cælum intonet, venti mugiant & renitantur, imperterritus susceptum semel cursum retinet, vectoresque salvos & incolumes in terram exponit.

Sed magni, inquies, sed Herculei hic sustinendi sunt labores, longa tædia, longa fastidia devoranda. In literis præsertim antequam vel mediocrem scientiam studio nostro consequi possimus, non menses, non anni duntaxat aliquot impendendi, sed ætas hominis quanta, quanta est tota requiritur. Quis tam longas moras patienter & æquo animo ferat? quis tandem animum non despondeat? quis velificationem non mutet? An nescis perseverantiam, laborem & diuturnitatis oppositione illustriorem reddi, & magis ac magis inclarescere? Tolle laborem, modum statue diuturnitati, periit tibi perseverantiæ laus, imò periit perseverantia.

An sine flagitio à se desiderari patietur studiosus, illam quæ in venatore, quæ in milite non sine laude conspicitur perseverantiam? Venandi studium ac voluptas homines per nives ac pruinas in montes, sylvasque rapit: studiorum necessitatibus eam patientiam, eam perseverantiam non adhibebimus, quam vel lusus ac voluptas elicere solet? Insuescit miles non solùm partâ victoriâ frui, sed si res etiam lentior sit, pati tædium

um, & quamvis ſeræ, ſpei exitum expectare, & ſi non ſit æſtate perfectum bellum, hyemem opperiri, nec ſicut æſtivas aves, ſtatim autumno tecta ac receſſum circumſpicere. Adeóne effœminata, adeóne mollis ac delicata erit ſtudioſa juventus, ut in toga non audeat quod miles in ſago? quodnam mollitiæ, inertiæque ſuę patrocinium quæret? Miles finem nullum alium belli quàm victoriam novit, ſtudioſus ſtudiorum nullum alium finem, quàm veram ac ſolidam eruditionem noſſe debet: ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς, dicebat filio Lacœna; aut cum ſcientia revertere, aut illi immorere, inquit mater ſchola alumnis ſuis.

Non impetu potiùs bella quàm perſeverantia geruntur quæ in omni quidem genere militiæ, maxime tamen in militia ſcholaſtica neceſſaria eſt, Arx enim illa ſcientiæ quæ munitionibus ſuis, ac naturali ſitu inexpugnabilis videtur, perſeverantiâ vincitur atque expugnatur. Quamobrem propter difficultates quæ primâ fronte apparent, οὐκ ἀποστατέον οὐδενὸς τῶν χρησίμων, *utili re nulla eſt abſiſtendum*, inquit magnus ille ſapientiæ Politicæ magiſter Lycortæ filius, ſed danda opera eſt ut aſſiduâ meditatione in habitum res vertat: quâ ratione pulchra omnia mortalibus ſunt parabilia; ſæpe enim ea quæ initio non difficilia tantùm eſſe verum omnino fieri non poſſe videbantur, mox ut acceſſit tempus & conſuetudo facillima omnium evadunt.

Ex-

*Expertus vacuum est Dædalus aëra*
*Pennis non homini datis,*
*Perrupit Acheronta Herculeus labor,*
*Nil mortalibus arduum est.*

Multi sæpe magno animo res aggrediuntur, & ardorem illum eo usque servant, donec magnum incrementum ab illis inchoata acceperint, sed πρὸς τῷ τέρματι καθάπερ οἱ κακοὶ τῶν σταδιέων ἐγκαταλείπουσι τὰς ἑαυτῶν προθέσεις, *circa ipsam metam, sicut mali cursores in stadio solent cursum remittunt*, quum tunc maximè esset intendendus, ut Diogenes olim monenti ut jam senex à laboribus desisteret. Pauci contra destinata ad exitum perducunt, siquid fortuna incœptis restiterit prudentiâ, patientiâ ac perseverantiâ supplentes, sed hac in parte à studioso adversarius superari decet: μεγαλόψυχον καὶ τὸ τῆς προθέσεως ἐπίμονον *animus magnus & in proposito constantia* in Musarum castris, si uspiam alibi, requiritur.

Exempla si quærimus, innumera imitationi nostræ sese offerunt, è quibus pauca hæc delibabimus. Gorgias Leontinus, nobilis Sophista, quamvis centum & septem annos natus, ab opere & studio non cessavit unquam. Altero etiam & octogessimo anno decedens Plato sub capite Sophronis mimos habuisse fertur, sic ne extrema quidem ejus hora agitatione studii vacua fuit. Marc. Terent. Varro Romanorum omnium doctissimus, anno octogesimo, illum admonente ut sar-

cinas

cinas colligeret antequam proficiſceretur è vita; libros de re Ruſtica conſcribebat. Magnus ille Hipponenſium doctor, ut ab externis ad noſtra veniamus, quamvis tria Neſtoris ſæcula attigiſſet, ſemper tamen aliquid vel legebat, vel ſcribebat. Illud quippe præſtantes illi viri perſuaſum habebant virum literatum ſtudentem, haud ſecus ac Veſpaſiani Imperatorem, ſtantem mori debere.

Noſne igitur, Commilitones, ad vos enim mea ſe nunc convertit oratio, animo frangemur, ſuccumbemus, primo conatu fruſtrati ſpem omnem abjiciemus? Ne, ne Deus ille ſirit, Contra potiùs niti nos oportet, animus ad omnium rerum patientiam obdurandus eſt. Nec difficultatis patrocinium ſegnitiæ prætexendum eſt. Ut palma oneri non cedit, ſed renititur & quo magis premitur, eo magis fornicatur ac ſe ſe erigit: Ita ſi fortitudinis, ſi perſeverantiæ laudem aliquam conſequi velimus, quo majoribus difficultatibus urgemur, quo pluribus impedimentis retrahimur, quo diuturnior ſe ſe votis noſtris opponit mora, eo majores induamus animos & fortiora adverſis rebus pectora opponamus, non ſtadium tantùm, ſed & dolichon cum Demoſtene pugnare parati, memores hic, non de corporis, ſed de animi cultu agi.

*Ut corpus redimas ferrum patieris & ignes,*
*Arida nec ſitiens ora levabis aqua.*
*Ut valeas animo quicquam tolerare negabis?*
*At pretium pars hæc corpore majus habet*

*Sed*

*Sed tamen est artis tristissima janua nostra,*
*Sed labor est unus tempora prima pati*

Iuga prima urunt juvencos, nova cingula lædunt equos, sed patientia, sed perseverantia malorum ingenium contundit. Aspera sunt initia, jucunda postprincipia & facilia: memores coronam non in ipsis statim carceribus sed stadio decurso, & ubi metam cursor contigit dari solere, adeò ut illi qui paululum tantummodo patientiæ, quo nihil facilius est, adhibuerit, protinus & ex facili ingentia gaudia ferre liceat: memores honorem illum qui nos manet, quo tendimus, Persarum divitiis & Picorum montibus qui aurei fuisse perhibentur contra carum non esse, & vitâ, quid aio vita? imò tot vitis bene emi quot Herilus habuisse dicitur.

*Nascenti cui tres animas Feronia mater.*
*(Horrendum dictu) dederat, terna arma movenda,*
*Ter leto sternendus erat.*

Si difficultatibus colluctandum, non soli conflictamur, non est quod de fortunâ nostrâ conqueramur, similes aliorum casus respiciamus, mitiora nobis omnia ac leviora videbuntur. Sed ardua hæc via est, petricosa, sentibus obsita: fateor, sed audendum nobis est aliquid, si velimus esse aliquid. Non fit sine labore, sine constantiâ, sine perseverantiâ facinus magnum & memorabile. Sed insuperabilis est? fac insuperabilem esse, in magnis voluisse sat est. Hoc semel voluisti, hoc semel elegisti, tu tibi semper consta.

In-

*In voto maneat mens tua firma suo*

Nec te eorum quæ aliquando bene coeperis tædium ullum capiat, ne hæc levitas & mentis inconstantia eligenti tibi electionis stultitiam exprobret, sed quod studioso animo inchoasti, majore obito. Tu mollitiem, tu segnitiem tantâ contentione devita, quantum in te est roboris atque nervorum

*Nam via virtutis dextrum petit ardua callem.*
*Difficilémque aditum primum spectantibus offert,*
*Sed requiem præbet fessis in vertice summo.*
*Molle ostentat iter via lata, sed ultima meta*
*Præcipitat captos, volvitque per ardua Saxa.*
*Quisquis enim duros casus virtutis amore*
*Vicerit, ille sibi laudémque, decúsque parabit.*
*At qui desidiam, luxumque sequetur inertem,*
*Dum fugit oppositos incautâ mente labores.*
*Turpis, inópsque simul miserabile transiget ævum.*
*DIXI.*

---

## ORATIO XII

### *Laus* Memoriæ

MEmoriam Musarum Matrem ultima quum narret Antiquitas, absurdum & alienum à vitæ meæ instituto non arbitror, si ego in Musarum castris prima stipendia merens aliquid vobis, Auditores, de illa dixero, non ut hîc magna specie atque pompâ abstru-

sas

ſas illas quæſtiones enucleem, quas tanto verborum apparatu agitare ſolent Philoſophi, an nempe detur memoria? Quid illa ſit? An vis animæ communis ad retinendas tam rerum imagines & phantaſmata quàm notiones univerſales ſive ſimplices, ſive complexas? an verò ſimplex animi perceptio ac repetitio? qualis ſit, quæ ejus differentiæ, ſubſtantiales, accidentales? corruptibilis an incorruptibilis? in ſicco, an in humido? quid differat memoria, recordatio, & reminiſcentia? ubi ſit memoria, an in occipitio & poſteriore cerebri ventriculo, uti à plerisque ponitur, propterea quòd in eo loco percuſſos ſæpius

*Cepere oblivia rerum*
*Cunctarum, neque ſe poſſent cognoſcere ut ipſis:*

Vel quòd, rei alicujus obliti, ſcalpimus quâ parte ſunt nervi à cellâ memoriæ protenſi, an verò toti cerebro vis illa & facultas permiſceatur? Hæc enim non quidem veſtrum, ſed meum captum ſuperant, ſed ut mori morem geram, & aliquid quod me tyrunculum, & in literis adhuc novitium deceat, in medium proferam: Pauca tamen illa erunt, ne veſtram, vel potiùs meam, Auditores, onerem memoriam. Benevolentiam itaque veſtram ante omnia exambio, ne metu concidat memoria, & quæ meditatus ſum, quamlibet jejuna, & exilia, dicere parantem in medio curſu deſtituant.

Aſſeram tantùm ultimæ antiquitatis ſententiam

àm de Memoria & Oblivione, quam fabularum involucris, quibus omnia obnubere solebat, expediam: unde satis vobis, Auditores, constabit quanti sit facienda Memoria. Hoc peracto, paucula adjiciam de ejus comparandæ ac firmandæ ratione, antequàm perorare instituam.

Mnemosynen & Lethen, vel si malueris, Oblivionem & Memoriam sorores fuisse ferunt, sed, ut fratrum gratia rara esse solet, ingenio adeò dispari, mente adeò dissimili, moribus adeò diversis ut in contraria planè studia semper abierint, quod alteri volupe ac gratum, alteri semper grave ac molestum fuit. Illam in Olympo & apud superos, hanc in Acherunte & apud inferos posuerunt. Illam Jovi, istam Aïdoneo in matrimonium collocarunt:

Ridetis, & Atticum illum μυητῆρα

*Ni frustra augurium vani docuere parentes,*

in vultibus vestris videor conspicere. Hæc sanè non sunt nugæ, neque enim mortualia; sed sub involucris ac integumentis istis gravium rerum latere præcepta qui non viderit, lucitiosum esse oportet. Sorores esse finxerunt, quia memoriam oblivio, oblivionem memoria excipit; Ubicunque enim est oblivio, ibi & memoriam fuisse oportet: Ubi reminiscentia, ibi oblivionem præcessisse necesse est. Nemo adeò felici, adeò tenaci est memoriâ ut omnium semper meminerit, quin illi alicujus quandóque rei, imò multarum oblivio persæpe obrepat. Nemo tam ob-

obliviosus, tam infelicis & labilis memoriæ ut omnium omnino rerum obliviscatur, quin interdum alicujus meminerit. Vtraque temporis est filia, confirmátque memoriam idem illud tempus quod esse in caussa solet oblivionis, quotidianis enim experimentis deprehenditur minimè fidelem esse paulò tardioribus ingeniis recentem memoriam, quæ tamen mirum in modum nocte interpositâ firmatur, adeò ut quæ statim referri non potuerunt, nullo negotio posterâ die contexantur, sive quiescit labor ille, cujus sibi ipsa fatigatio obstat, sive maturatur atque concoquitur, seu firmissima ejus pars est recordatio, ut egregiè disceptat Fabius Instit. l. XI. Utraque versatur circa præterita, præteritorum meminimus, præteritorum obliviscimur: utraque homini it comes: utraque quandoque grata, quandoque ingrata: utraque vel naturalis vel artificialis esse perhibetur, quanquam oblivio artificialis nomine tenus sit oblivio, re ipsâ verò memoria, memoria dissimulata, oblivio simulata, nihilque minus quàm oblivio, affectatio quippe veritatem omnem procul à se spernit.

Naturæ, morúmque tantam dissimilitudinem, tantam varietatem esse dicunt, ut nullâ in re inter se conveniant, & in contraria prorsus, diversa & pugnantia studia ferantur, sorores tamen esse, ac sanè varias quibus id evinceremus inter utramque similitudines protulimus. Frons vobis severitudine caperat? Sphingis ænigmata

hæc esse creditis? *Sunt Pythio vera magis tripode.* Ubi est memoria, ibi & oblivio, sed quæ impressit memoria, oblivio delet. Vtraque versatur circa præterita, sed illa præterita omnia cernit, ideò in occipitio sapienter collocavit eam, quicunque ille fuit qui primus collocavit, imò verè agnovit ubinam à summo rerum opifice Deo collocata fuerit: ista verò cæcâ caligine præterita omnia involvit, & ab oculis eripit. Illa hominem clarum & Diis æquiparabilem reddit, hæc obscurum & ne cum brutis quidem comparandum. Quandò illa grata est, hæc ingrata: ac vice versâ ubi altera laudabilis est & commendatione digna, alteram illaudabilem & innominabilem esse necesse est. Bonarum rerum oblivio semper mala est, memoria bona. Malarum contrà oblivio bona, memoria mala. Illi sapientia, prudentia, scientia, Musæ, literarum studia, artes omnes, diligentia, industria comites semper adstiterunt, huic contra imperitia, inscitia, ignorantia, stultitia, imprudentia, temeritas, inertia, socordia atque ignavia. Illa sine fine vigilat, hæc socors est & somniculosa, perpetuóque laborat veterno. Illa in perpetuâ luce versatur, hæc in Tenebris. Iccirco illi Olympum, Olympum illum totum fulgidum, totum radiantem, totum coruscantem, ubi puram & sinceram lucem nullæ inficiunt tenebræ, sedem assignarunt: huic verò Acheruntem & sine luce domum, loca pallida, nigra, cæca, opaca, senta situ, plena timoris,

Quo

*Quò nunquam radiis Oriens, mediúsve, cadénsve*
*Phœbus adire potest.*

Mnemosynen Jovi consociarunt, & ex hoc conjugio Musas natas memorant, eo quòd qui ad Musarum arcem aditum sibi moliuntur, qui rerum magnarum atque artium scientiam consectantur, qui ad Philosophiam, Medicinam, Jurisprudentiam, Theologiam, omnésque adeò ingenuas disciplinas grandioribus contendunt passibus νοητικῷ καὶ μνημονικῷ ante omnia opùs habent. Illa verò firmè ac fideliter continendi, hic citò ac facile percipiendi seu intelligendi facultatem confert, sine quibus qui Musas colere instituunt frustra sunt, operam ludunt, & in cassum venantur. Oblivio verò Aïdoneo cessit, Deo nempe cæco, inerti, nihil nec videnti, nec scienti, omnium ingratissimo. Quid ex hoc connubio sperares? Nihil sane nisi quod ex Domitii & Agrippinæ connubio, nihil nisi detestabile & malo publico. Nihil nisi mera monstra inde nasci possunt.

Videtis nisi fallor, Auditores, non bene junctarum sororum discordia studia, in quibus

*Frigida cum calidis pugnant, humentia siccis,*
*Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.*

Mirum itaque vobis non videbitur, etiamsi nonnemo omnia sibi mira videri dixerit, cur tanta procorum turba in alteram procos aversantem ruat, alteram veró, cum quâ tamen plerumque

 con-

consuescunt, aversetur. Hæc siquidem tantæ fœditatis est, tantæ turpitudinis, tantæ in deformitate sua offensionis, ut solo momine fastidium creet, & nauseam concitet: Illa verò mera munditia, mera illecebra est, tantâ formæ gratiâ, tantâ dignitate, tantâ venustate, tantâ argutiâ, ut vel solum illi nomen, absque omnibus aliis pigmentis lenocinetur, & omnes in illâ hæreant, & concepto sub medullis igne caleant. Nec immeritò sanè. Est enim illa rerum omnium thesaurus, inventorum, cogitatorúmque custos, quæ omnis vitæ usum, omnésque artes una continet, quâ omnis disciplina constat, frustrà enim doceremur, si quicquid audimus, præterflueret. Perirent omnia, etiamsi præclarissima, absque illius custodiâ foret. Desit illa? stupidi, hebetes, indociles, rudes habemur. Adest? acuti, solertes, dociles, ingeniosi audimus. Omnes enim animi virtutes uno fere ingenii nomine appellantur, sed memoriæ imprimis quæ cæterarum omnium ingenii partium custos est fidissima.

Inde est quòd ingenii signum in parvis præcipuum memoriam esse dixerit Fabius, & qui facilè quippiam memoriæ mandant, & mandata feliciter repræsentant ingenio valere vulgò ferantur, quâ de caussâ veteres Minervam puerorum memoriæ præfecerunt, & inter selectos Deos retulerunt, cui Quinquatribus operabantur, ut citò sibi à præceptoribus dicta perciperent doci-

dociles puerorum animi, fideliterque tenerent.

Sedquibus artibus Reginam illam quæ tantos, tamque ardentes sui amores excitat ambibimus? quibus artibus gratiam illius demerebimur? Iisdem illis scilicet quibus cæteri amantes amores suos demerentur, vel potiùs expugnant, amore, cultu, labore, constantiâ. Memoria enim ager est in aliis fertilis, in aliis infertilis. Uterque culturam requirit, fertilis enim sine culturâ sterilescit, sterilis culturâ fœcundatur. Nihil autem æquè vel augetur curâ, vel negligentiâ intercidit, ac memoria. Exercitatio hîc & labor primas tenent, imò omnia, ut ita loquar, in illis consistunt. Multa quotidie ediscenda sunt, multa cogitanda, multa scribenda, & lecta sæpius revolvenda, idem quasi cibus sæpe remandendus, quòd reddidisti frequenter exigendum.

Siquid meditatum consignas, divisionis & compositionis ratio singularis habenda, nam qui rectè diviserit, nunquam poterit in rerum ordine errare: quæ verò bene composita sunt, memoriam serie suâ ducunt. Si longior oratio memoriâ complectenda sit, ne onere laboret memoria, per partes ediscatur. Apponantur interdum notæ quarum recordatione commoneatur & quasi excitetur. Juvaberis si eadem quâ scripsisti chartâ ediscas, sequeris enim vestigiis quibusdam memoriam, & velut oculis intueberis non paginas modo, sed versus prope ipsos, dicésque similis legenti. Imò si litura aut adjectio aliqua, aut

mutatio intervenerit, signa erunt quæ tu intuens errare non poteris. Tacitè potiùs, vel saltem voce submissiore hoc officio defungitor, idque te potius, quàm alio legente.

Huc denique accedunt, quæ plurimum conferunt, bona valetudo, moderata victûs ratio, digestus cibus, sobrietas, temperantia, animus aliis cogitationibus liber: ut contra plurimum nocent, morbi, crapula, intemperantia, nimius somnus, cibus concoctu difficilis, animus curis, sollicitudine, mœrore, irâ & aliis animi perturbationibus occupatus, aliáque id genus, quæ ex ipsis Quintiliani ac Ciceronis fontibus melius hauriuntur, & variis exemplis firmari possunt.

Unum esto nobis instar omnium, *Marco Tullio Marci filio*, inquit Seneca, *natura memoriam demserat; & ebrietas, si quid ex ea supererat, sub ducebat*, quod subinnuere videtur Plutarchus, dum refert Ciceronem filio suo Gorgiæ Rhetoris consuetudine interdixisse quod ab illo εἰς ἡδονὰς καὶ πότους induceretur.

A noxiis itaque & lædentibus hisce, quantum potest, nobis caveamus. Ex contrario quæ juvare possunt, illis ut potiamur, omni ope niti decet, Diligentia summa adhibenda est nihilque omnino prætermittendum quod votum nostrum implere queat. Nec, si te memoriæ dignitas & præstantia verè ceperint, difficultatis patrocinium prætexe segnitiæ tuæ Labor

bor improbus omnia vincit, quid amantem deterreat? si non ad Cyri, Themistoclis, Cæsaris, si non ad Ciceronis, Hortensii, Senecæ, vel Portii Latronis, aliorúmque qui memoriâ adcò excelluerunt, ut non ad usum modó sufficeret, sed in miraculum usque procederet, facultatem potes accedere, intra mediocritatem saltem consistes. Extremum verò pudeat rediisse; hoc vincito puer, hoc prohibeto nefas. Sed qui me circumsistunt susurri? De memoriâ diutius quàm par est differentem interpellatis fortè, & quæritis, annon verear ne mihi fraudem nimis onerata faxit? Memorem monetis. Iccirco oblivioni obviam iturus, verbum non amplius addam. DIXI.

---

## ORATIO XIII.

### *Laus* JUDICII.

MEmoriam anno in Ordines prodiisse meministis, Auditores, succenturiatum nunc venit Judicium, ac jure quidem si quid mei est judicii: Memoria enim absque judicio & judicium absque memoriâ vix consistere possunt, utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget; illius tractatio hujus tractationem quodam modo spopondit. Ne itaque mecum ex sponsu agatis, tempus solvendi quum venerit, dependendum mihi esse duxi quod vobis pro me spo-

ſpopondit qui ex hoc loco & mihi & vobis memoriam commendavit. Memor igitur officii prodeo, ac prodeo ſoluturus, & à me non ab alio ſoluturus quicquid illud eſt debiti, quod ab alio vel contractum eſt, vel contrahi potuit. Sed judicio me falli dicetis, qui aliena nomina expuncturus veniam: hîc ſanè judicio meo non ſtabo, ſed omnia veſtro, veſtro illi acri, limato ac polito judicio permittam, cui me, meúmque judicium ſubmittere par eſt. Et quanquam de judicio acturus judicium meum in judicium mittam, veſtrúmque judicium ut pote ſapientum, quàm multorum inſipientum mihi, etſi non adeò prudenti, ſit pertimeſcendum, tamen & bonitate veſtrâ fretus huc accedo. Reſpondeat quæſo illi quod de vobis habeo, ac ſemper habui, judicio. Apud vos verba facientem ſi patienter auditis, non dubito quin judicium veſtrum emerear. Anteceſſoris mei veſtigia premam, quod in memoriâ ſe facturum verbo pollicitus reapſe præſtitit, idem & in Judicio me facturum profiteor, ab abſtruſis & abſtractis Philoſophorum ſententiis mihi abſtinendum eſſe, vel ipſum mei quam libet pueri judicium ſatis dictat.

Illas ergo ſilentio tranſibo, vel leviter ſaltem tangam, extra arduam & difficilem viam me declinabo, molliorem magíſque tritam inſiſtam.

Quid ſit judicium, quantopere memoriam ingeniúmque antecedat primum oſtendam: deinde ejus

ejus acuendi & limandi rationes tradam.

Ac ut aliquando tandem ordiar. Judicium approbationem, & improbationem rationis velut amussim quandam in mente & normam, haud secus ac examen in libra, me dicturum forte arbitramini? Non ego sanè, hanc enim approbationem & improbationem, operæ potiùs sive actionis judicii, quàm ipsius judicii definitionem esse censet Philosophorum nostri sæculi Phoenix, judiciúmque nihil aliud quàm rationem ipsam, ipsissimam rationem esse contendit, sed quæ à seipsa reflexione tantùm differat, quod ut faciliùs assequamur, duæ hic intellectûs facultates considerandæ veniunt, Ingenium, & istud ipsum de quo agimus Judicium.

Ingenium vis est intellectus quâ difficilia cognitu facilè discimus, facilè assequimur & apprehendimus, quâ per nosmet ipsos res invenimus & excogitamus, quâ mentis, principiis naturalibus & cognatis notitiis imbutæ, actus à sensilibus excitatus alicujus alterius rei consequentiam elicit. Hoc pacto Berchtholdus Niger bombardarum tubos primus excogitasse fertur. In mortario pulverem sulphureum medicinæ faciendæ caussâ lapide tectum asservabat, sed dum fortè ignem ex silice prope excuteret, intus cadente scintillâ subitò flamma erupit & magnâ vi lapidem sursum impulit. Laurentius quoque Castreus Harlemensis, haud absimili ratione, ex sigillorum & ectyporum impressione typographiam ex-

cogitavit. Sic horologiis sabuli originem dedere clepsydræ, solaria pastores ex umbris arborum invenere, horologia rotarum ab aliis machinis, Pictura ab Ichnographiâ, hæc ab umbris à quibus & Optice, Architectura à nativis specubus prodiit.

Hoc est ingenium illud, quod res veluti ex naturæ matrice eruit; sed postquam erutæ sunt ex involucris suarum caussarum, si illas repetitâ perpensione exagitemus & veluti recognoscamus, non secus ac metallorum probitatem ad Lydium lapidem, ad incudem aut ad ignem exploramus, non secus ac cibos mansos quo faciliùs coquantur ad rumam revocant animantium quædam. Hoc demum judicium vocatur, quum mens se in priorem reflectitur notionem, quum inventa ruminat & concoquit, quum ordine digerit omnia, aptè circumspiciens, quid ex quo nascatur, quid cuique sit consequens, quid alienum, quid repugnans, quid congruens & consentaneum. Hoc linguam temperat; hoc manum regit, nequid temerè & inconsultò, nequid indecorè dicant, faciántve; hoc verisimilia à veris discernit, probabilia à certis & indubitatis, nec sibi fucum ab illis fieri patitur, orichalcum pro auro, vitrea fracta pro gemmis non accipit. In quo admirabilem selectionis ac purioris mentis indolem cernere est, quæ ne summæ quidem vi, quæ menti ad alias omnes violentias immobili inferri possit, verisimili nempe rationi ac probabilitati succumbit, sed sua

sua solum existimat, non quæ videntur, sed quæ revera sua sunt, aliena pro alienis, non pro suis habet.

Hoc denique est actionum humanarum omnium condimentum, coagulum quo vera sapientia ac prudentia continetur, quo solo à brutis differimus. Apes miro artificio favos fingunt & exstruunt, Aranei telas, sed nec isti de hâc hyphantice, nec illæ de architectonicâ suâ judicare possunt. Bruta tantùm sensu moventur, ad id solum quod adest, quodque præsens est, se accommodant, parum admodum sentiunt præterita aut futura, nos verò per rationem consequentia cernimus, principia & caussas rerum videmus, earúmque progressus, & quasi antecessiones non ignoramus, similitudines comparamus, rebúsque præsentibus adjungimus atque annectimus futuras, totius denique vitæ cursum facile videmus, ad eámque regendam necessaria præparamus.

Hoc bono nullum est majus ad disciplinas atque artes omnes. Non usu, non cognitione rerum multarum & variarum, non memoriâ, non acumine, non eruditione & scientiâ disciplinarum, atque artium, sed hoc solo distant maxima & præstantissima ingenia ab infimis; imò multi singulari pollent memoriâ, multarum rerum cognitione, ac raro ingenii acumine suspiciuntur qui hâc tamen facultate destituuntur. Hebetiores quàm acutiores Remp. meliùs ut plurimum administrant, subtilia enim illa & ignea inge-

ingenia in assiduo motu novandis, quàm gerendis rebus aptiora sunt, disputare & sermocinari magis quàm suadere possunt. Caput autem omne consilii non in acumine, aut sermonum rationúmque copia est, sed in directâ quadam judicii normâ, quæ acutis illis & acribus ingeniis plerumque abest.

Raram quoque misturam faciunt memoria ac judicium, adeò ut vulgò ferant, eos qui pollent memoriâ judicio carere: contra intellectûs ac judicii bonitatem aliquo memoriæ defectu semper laborare. Nec exempla fortè procul, vel à multis retro annis arcessenda essent, si ita videretur. Caussam si requiritis, in Imaginativâ sita est, prout illa ad Camarium magis vel ad Cerebellum defertur, vel prout spirituum motus tardior est, vel celerior, sed quum hæc non sint instituti nostri, Philosophis & Anatomices peritis discutienda relinquimus. Mediocrem memoriam cum mediocri judicio, quàm summam cum parvo judicio memoriam mihi longè optarim. Est enim judicii gloria super ingenii & doctrinæ, quanquam summi cum summâ memoriâ judicii temperaturam quis non potiùs exambiat? sed paucos quos æquus amavit Juppiter, id consequi videmus. Illos miramur, illos suspicimus, illis invidemus, tanta genus hominum cupido gloriæ incedit!

Sed naturæ munus frustra nos persequi, dicat nonnemo. Nobis enim pueris ac fermè nascen-

centibus judicii illius semina induntur, ac in aliis maturiùs, in aliis tardiùs adolescunt & confirmantur, omnésque fermè tacito quodam sensu sine ullâ arte ac ratione recta, prava dijudicant. Naturæ munus fateor esse, ac singulare naturæ munus, sed natura arte perficitur, si excolueris nitebit, si incultam reliqueris situ ac rubigine squalescet.

Illud ergo diligenter attendendum, quid judicio prosit, quid obsit, ut ea quæ juvant appetere, quæ obstant & officiunt propulsare possimus. Officiunt affectus omnes immodici, amoris, metus, favoris, venerationis, voluptatis, odii, iræ, invidiæ. Impetus omnes inconsulti, præcipites, temerarii, motus inordinati, habitus vitiosi, levitas, inconstantia, cæcitas, ignorantia, aliáque id genus innumera.

Quò nos quæso transversos abripit nimius nostrorum amor? In illorum gratiam sæpè alios quamvis immerentes conviciis dum proscindimus, dum ulciscimur, miserè nos prostituimus, & judicii nostri fœdam ac pudendam imbecillitatem prodimus. At unde nimius ille & insanus erga nostros affectus? Unde, nisi à nimio nostri amore, qui judicio tenebras semper offundit, quum deberi nobis omnia, cæteris vero parum aut nihil existimemus, quum minimis nostris incommodis, quàm gravissimis aliorum malis afficiamur, ubi nos de alienis casibus non secus ac nostris, & nostris non secus ac alienis judicare par erat.

Quid?

Quid? ut ab hoc affectu ad alium transeam, quid de voluptate dixerim? Annon illa rationi prorsus est inimica, omne consilium impedit, ita denique totam hominis naturam corrumpit, ut si eam ducem sequi velimus, nunquam possimus rectè de rebus agendis judicare?

Quid metus, quid favor, quid veneratio hic non moliuntur? Metu sæpe, favore, veneratione à rectâ judicii normâ deflectimus, ut aliorum ac præsertim multitudinis exemplum qualecunque, vel judicium sequamur. Rectam igitur rationem afferamus, quæ judicet utrum ea quæ ab aliis fieri sensus testatur rectè an secus fiant, scientiâ non multitudine judicium nostrum, si bene compositum volumus componamus. Nihil æquè caveamus, quàm ne ad aliorum opinionem vivamus, néve quid populus probet circumspiciamus, sed rectam rationem potiùs ducem & gubernatricem vitæ nostræ nobis statuamus, ut sive omnibus resistendum, sive gravia adeunda pericula, de rectâ sententiâ nos depelli nullo modo patiamur. Cæca enim est multitudo, imperita ac temeraria, probat quæ nescit, damnat quæ nescit. Nemo autem eorum quæ ignorat bonus est judex, imperiti de artibus quas non didicerunt, neque intelligunt, perinde judicant ut cæci de coloribus. Scitum est illud admodum ac elegans quod in hanc sententiam de Hippomacho nobili gymnastâ & Polycleto insigni statuario refertur: ille discipulum quem exercebat turbâ spectatum ad-

admissâ acclamante, virgâ percussum graviter increpuit, si quid ex arte fecisses, inquit, isti non applauderent. Hic verò statuas duas fecit, alteram ex artis præscripto, alteram ad arbitrium plebis, singulis enim accedentibus & aliquid addendum, mutandum vel transponendum esse monentibus, ad arbitrium & nutum illorum totum se finxit & accommodavit, utramque postea perfectam quum in pergulâ transeuntibus proposuisset, omnes illam admirari ac laudare, hanc ridere & naso suspendere. Atque illa, inquit, meæ, hæc vestræ est artis opus.

Quid ignorantia, quid præcipitantia mali non invehunt? Sanè judice imperito nihil est iniquius. Quum ingens sit rerum varietas & in varietate illa innumeræ se prodant difficultates, nec quod probabile est uno semper se modo habeat, continere se solent ac cohibere viri sapientes, ut tempore aliquo & morâ interpositâ quid sui judicii sit tutiùs aperire possint, sed hanc judicii, ut vocant, suspensionem stulti ignorant, & quia nihil circumspiciunt, nihil prævident, quamlibet ignari ac imperiti de rebus vel difficillimis sine morâ ferunt sententiam. Unde stulti judicis præceps sententia veteri adagio nobilitata est.

*Judicium præceps, insani judicis index*
*Omnia sunt longis discutienda moris.*

Sapienter itaque Marius & prudenter tantum se oneris humeris suis se impositururum negavit, ut de magnæ rei sibi nondum bene perspectæ & ex-

ploratæ momento extemporalem & impræmeditatam sententiam ferret. Sed næ ego frustra sum qui singula percurro!

Me dies citiùs quàm oratio, & de judicio differentem judicium deficiet, quàm per omnes illos affectus, per omnes illos motus ac impetus ire queam. Ab uno igitur disce omnes, & quâ unum, eâdem cæteros pensato trutinâ, si affectus unus pestem importat, quid non facient juncto umbone phalanges? Omnes ergo comprimamus, omnibus hospitium renuntiemus. Procul, procul nos ab omnibus spernamus; si de rectâ viâ ad sinistram nimium declinaverint, dextram petamus, si ad dextram, sinistrorsum abeamus. Illud Gyæ ad Menœten perpetuò nobis ob oculos obversetur,

*Quò tantùm mihi dexter abis? huc dirige cursum*
*Littus ama, & lævas stringat sine palmula cautes.*
*Altum alii teneant.*

Contraria contrariis quum curentur, contrarias opponamus virtutes. Normam illam, regulam ac præscriptionem semper ante oculos habeamus, canonem illum ex quo judicii nostri lineamenta omnia velut à summâ lege nobis petenda sunt, sacrum nempe Dei verbum, sacra oracula à quibus qui aberraverit, is nunquam quid in vitâ sequatur habebit. Quæcunque se nobis offerent attentè ac diligenter consideremus. Non

res

res tantùm, ſed & rerum tempora quæramus, temporum articulos penſitemus, nihil præmaturè, nihil præcipitanter ſtatuamus. Maturitas hîc non feſtinatio requiritur, feſtinatio enim non ſolùm improvida eſt & cæca, ſed etiam infelix, comitémque ferè ſemper habet pœnitentiam, ſed eandem ſeram atque inutilem. Demus ſpatium & tempus nobis, nec nos moræ pœnitebit:

*Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas,*
*Et validas ſegetes, quod fuit herba, facit.*

Iudicio noſtro vires illa dabit, πειρῶ inquit Epictetus, ὑπὸ τῆς φαντασίας μὴ συναρπασθῆναι, *Da operam ne à primis, quæ in oculos incurrunt, imaginibus, à primis viſis abripiaris*, nam ſi ſemel moram & tempus impetraveris, faciliùs ipſe tibi imperabis; ſi non ſine præmeditatione & præparatione ad judicandum acceſſeris, & ignominiam & pœnitentiam cavebis.

Veritatem unicè ſectemur, honeſtatem amplectamur. Ordinem, modum, ſymmetriam, à qua omnis vera pulchritudo, in omnibus ac præſertim iis quæ animum ſpectant, attendamus; hoc enim à rectè judicantibus fieri debet, ſed quotuſquiſque hic non peccat, quotuſquiſque reperitur qui non Rhodopidis venuſtatem magis, quàm in monſtroſâ deformitate, Æſopi excellentem ſapientiam admiretur?

Vires noſtras diligenter expendamus, quid valeant humeri, quid ferre recuſent, hoc enim

verum eſt philoſophandi principium *αἴσθησις τῦ ἰδίυ ἡγεμονικῦ πῶς ἔχει animadvertere mens & ratio ſua quo pacto ſit affecta*, nam ejus imbecillitate cognitâ à magnis dijudicandis abſtinebimus. Nihil ultra vires aggrediemur, nec illos, ut inquit Arrianus, imitabimur, qui quum buccellam deglutire non poſſint, volumina voluminibus aggerunt, eáque devorare conantur, unde fit ut aut revomant, aut cruditate laborent. Unde vertigines, fluxiones & febres oriuntur, quum quid ſuarum eſſet virium non perfunctoriè conſiderare debuiſſent. Expendamus igitur, expendamus diligenter & æſtimemus vires noſtras.

Improbum examen in trutinâ caſtigemus, virorum ſummorum judicium nobis pro ratione ſit, ratum id habeamus quod illi judicaverint. Nec errorem metuemus, quod ſi erraverimus, vel errorem honeſtum eſſe magnos duces ſequentibus non eſt quod ambigam. Interim judicium nobis confirmabitur, quo confirmato, nullius ampliùs auctoritati adſtricti, cui parere neceſſariò nos oporteat, quid ſit in quáque re maximè probabile ſemper requiremus, rationis quàm auctoritatis momenta ſequemur. Nec enim probatur id quod de Pythagoricis accepimus, quos ferunt ſi quid affirmarent, quum ex iis quæreretur quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, *ipſe dixit*, Ipſe autem erat Pythagoras, opinio tantùm præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas.

Ne-

Neque magis probatur illorum ratio qui toti ab exemplis, toti ab eo quod fieri solet pendent, quum à rectâ ratione, ab eo quod fieri debet pendere deberent. Non est enim nobis exemplis sed regulis judicandum, neque enim multitudo peccantium peccantibus patrocinabitur, neque minùs fur dabit pœnas, etiamsi multos ejusdem facinoris socios habuerit. Túne ergo exempla è judicii foro prorsus eliminas? Nihil minùs, nam sapientis quoque est ex aliis judicium capere sibi quod ex usu siet. Et sanè vix ulla res est, quæ hominem ad virtutis studium magis instiget, quàm præclara & laudabilia aliorum exempla, quæ si secus se habuerint, alieno quoque periculo docemur quid cavendum, quid fugiendum sit; facilè ex aliorum eventis, nostris possumus rationibus providere.

Animum artibus ingenuis, liberalibus disciplinis, memoriam multâ excolamus lectione ut variorum exemplorum documenta suppeditet. Inde enim nobis quod imitemur capiemus, inde fœdum incœptu, fœdum exitu quod vitemus. Inspectio rerum, peregrinatio, actio, conversatio multùm juvant, & magnum ad prudentiam ad rectum & sanum judicium afferunt momentum, sed lectio bene instituta longè compendiosiore & tutiore viâ illuc nos deducit, & hæc omnia longo post se intervallo relinquit. Non tam ex eventu, quàm ex consilio de rebus judicemus, omnia certo judicio ponderemus, nec satis nobis sit judicare quid

faciendum, non faciendúmve sit, sed stemus in eo, quod rectè semel judicatum fuerit, donec Deum in cælis contemplantes, omnibus ignorantiæ nebulis discussis, non verisimiliter sed verissimè certâ veritate ostensâ, causisque rerum omnium in ipso auctore perspectis & cognitis, liberatis quoque mentibus nostris obscuro hoc & tenebroso carcere, nulla sit amplius distinctio & differentia judiciorum, ut alia aliis placeant, sed idem omnes sentiamus, idem probemus. DIXI.

# DAVIDIS CLERICI
# COMPUTUS
# ECCLESIASTICUS.

# COMPUTUS ECCLESIASTICUS.

## CAPUT I.

### *De Anno ROMANO.*

COmputi, quem vocant, Ecclesiastici doctrinam exhibituris, aliquid de anno Romano, ad quem Computum Ecclesiasticum accommodavere Veteres necessariò præmittendum est. Ante Jul. Cæsarem varia fuit anni Romani ratio, alius enim fuit annus sub Romulo, alius ab excessu Romuli ad Julium usque Cæsarem. Romulus Urbis conditor & primus Romanorum Rex anno suo decem menses attribuit, quanquam nonnullos aliter sentire & annum Romæ statim ab initio fundationis duodecim mensibus definire nos non lateat, sed hîc antiquorum Scriptorum fidem sequimur ac Io. quidem Ovidii L. 1. Fast

*Tempora digereret quum conditor Urbis, in anno*
*Constituit menses quinque bis esse suo.*
*Scilicet arma magis, quàm sidera, Romule, noras.*
*Curáque finitimos vincere major erat.*

*Oudie*

*Ovidio* ( ne *Plutarchum* in Numa citem qui hanc quóque quorundam fuisse sententiam dicit, *ὡς οὐ δώδεκα μησὶν ἀλλὰ δέκα συνεπλήρουν οἱ τότε ῥωμαῖοι τὸν ἐνιαυτὸν* ) adstipulatur. *Censorinus*, quum ait, *Annum vertentem Romæ Licinius quidem Macer, & postea Fenestella statim ab initio duodecim fuisse mensium scripserunt: sed magis Junio Gracchano & Fulvio & Varroni & Suetonio aliisque credendum qui decem mensium putaverunt fuisse: horum quatuor majores* ( sc. Martius, *Maius*, *Quintilis*, *October*) *pleni*, *cæteri sex* ( nempe, Aprilis, Iunius, Sextilis, September, November, December) *cavi vocabantur*. Idem quoque referunt *Cassiodorus* & alii.

Cæterùm quum in anno Romuli menses nec Solis, nec Lunæ rationibus responderent, justóque brevior esset annus ille, visum est Pompilio Numæ dierum deficientium additione auctum illum 1°. ad Lunæ rationem 2°. Mercedonii intercalatione ad annum Solarem revocare. Ideò, ut refert Censorinus, *ad annum Romuli adjecit* (P. Numa) *unum & quinquaginta dies, qui quia menses duos non implerent; sex illis cavis mensibus dies sunt singuli detracti, & ad eos additi, factique sunt dies 57. & ex his duo menses: Januarius undetriginta dierum, Februarius duodetriginta; atque ita omnes menses pleni & impari dierum numero esse cœperunt, excepto Februario qui solus cavus & ab hoc cæteris infaustior est habitus.* Sed nec sic annus ille cum Sole paria faciebat, merè enim Lunaris fuit & dierum 355. Ideò opus fuit intercalario mense; hunc *Plutarchus*

*μεγ-*

μεϱκεδῖνον, & μεϱκεδόνιον appellat. *Macrobius* verò & *Censorinus* testantur fuisse 22, vel 23 dierum. Nam quum Romani censerent Lunam duodecim suis mensibus 354 dies implere, ideò excessum anni Solaris supra Lunarem constituerunt xi dierum, qui spatio biennii excrescebat ad 22 dies & suppeditabat quantitatem mensis intercalarii. Verisimile itaque est Romanos exacto uno biennio intercalasse 22 dies, altero à biennio elapso 23, siquidem quadriennii circuitu peracto dies una accedebat anno Solari.

Hæc ratio intercalandi quum sæpius á Pontificibus (penes quos intercalandi erat potestas, & à quibus tota annaria ratio pendebat) intermissa esset, ob odium enim vel gratiam intercalationem vel omittere, vel adhibere solebant, quò quis vel magistratu citiùs abiret, vel illo diutiùs fungeretur, quò publici quoque redemtores ex anni magnitudine in lucro damnóve essent; magna in annum Romanum irrepserat confusio, adeò ut menses hiberni in æstatem incurrerent & contra, quod Iulius Cæsar animadvertens, illum sibi, ut qui Pontifex Maximus esset & Dictator, cunctáque in potestate haberet, reformandum esse arbitratus est: quare adhibito in consilium Sosigene & aliis præstantibus Mathematicis, quos ex Ægypto acciverat, suo tertio & M. Aemilii Lepidi Consulatu novam emendationem initurus coactus est præter ordinariam Mercedonii pleni intercalationem, quæ tunc forte incidebat, insuper sexa-

xaginta septem dies ultimo Romanorum anno Lunari, quem confusionis appellarunt, inter Novembrem & Decembrem inserere, & annum 445 dierum conficere, quò scilicet retraheretur Mercedonius cum Martio, & reliquis mensibus ad sedem antiquam, unde postea calendarii fixi Solaris & intercalationis Julianæ initium sumeretur. Deinde novam anni formam Solis motui quam proximè quantitate congruentem excogitavit, & quarto suo Consulatu introduxit, quum enim didicisset anno Lunari deesse dies decem & quadrantem diei quo minus periodo Solari responderet, decem dies intrusit in menses Lunares, ut Januario, Sextili & Decembri à fine adjiceret dies binos, quò tres menses isti qui priùs habebant 29 dies, nanciscerentur singuli 31. Quatuor reliquos dies adjecit Aprili, Iunio, Septembri & Novembri ut haberent 30 dies, quum antea constarent duntaxat 29 diebus. Ita septem mensibus concessit dies 31, Februario 28 & reliquis quatuor triginta, quod versibus hisce qualibuscunque memoriæ commendare possis:

*Junius, Aprilis, dein cum Septembre November*
*Tricenos numerant, ( reliquis superadditur unus)*
*Septenosque quater faciunt cui Februa nomen.*

Sed & facilius adhuc memoriæ imprimis, si manus sinistræ digitis indice & annulari depressis, reliquis vero erectis, initium numerandi feceris à Mar-

Martio, quicunque enim menses in pollicem, medium & auricularem inciderint, dic esse unius & triginta dierum, reliquos qui in indicem & annularem cadent 30 dierum, excepto Februario cui anno cummuni 28, anno vero bissextili 29 tantùm assignabis.

Hanc autem fuisse mensium Julianorum ordinationem non auguramur, sed *Censorino* & *Macrobio* testibus asserimus, adeò ut illos falli contendamus qui volunt Cæsarem menses singulos excepto Februario cui 29 dies assignarit, dierum 31 & 30 alternis constituisse, ita ut Sextilis triginta tantum dies habuerit, sed cui in Augustum mutato Augustus diem unum Februario detractum addiderit, ne Julio brevior esset. *Censorini* & *Macrobii* verba operæ pretium est hic subnectere, sic ille: *Intercalario mense sublato, Cæsar annum civilem ad solis cursum formavit, itáque diebus* 355 *addidit* 10 *quos per septem menses, qui dies undetricenos habebant, ita distribuit ut Januario & Sextili & Decembri bini accederent, cæteris singuli: eósque dies extremis partibus mensium apposuit, ne sc. religiones sui cujusque mensis à loco summoverentur.* Nec minùs perspicuè iste Saturna. l. 1. c. 14. quum ait. *Dies autem decem quos ab eo additos diximus, hac ordinatione distribuit. In Januarium & Sextilem & Decembrem binos dies inseruit. In Aprilem autem, Junium, Septembrem, Novembrem singulos. Sed neque mensi Februario addidit diem, ne Deo infero religio mutaretur: & Martio, Majo, Quintili, Octobri servavit pristinum*

*num statum, quòd satis pleno erant numero, id est, dierum singulorum, tricenorúmque.*

Verùm & sic quadrans diei mensibus istis Solaribus deerat. Quum enim Sol annuum in Zodiaco curriculum diebus 365 cum quadrante ferè absolvat, quadrans ille quoque anno politico addendus fuit; quod fecit Cæsar: atque hinc tota bissextorum ratio prodiit. Quamvis enim periodus Solis annua complectatur dies tantum 365 & paulo minus quadrante diei, adeò ut in annis 133 pars illa quæ quadranti diei deest, diem unum efficiat, tamen quia usui politico id accommodatius erat, sex horas integras trecentis sexaginta quinque diebus addi voluit Cæsar, & hunc quadrantem tantisper negligi, donec ex quatuor quadrantibus conflaretur dies integer, qui intercalari debebat, ut inquit *Macrobius*, eo mense ac loco quo etiam apud Veteres mensis intercalabatur, id est, ante quinque ultimos Februarii dies, vel, ut inquit *Censorinus*, post Terminalia, vel ut Veteres locum signabant, inter Terminalia & Regifugium Jam quum Terminalia caderent in VII Kal. Martias, & in annis communibus Regifugium caderet in diem sequentem qui vocabatur & reapse erat VI. Kalend. dies qui anno quarto inter utrumque intercalabatur vocari & potuit & debuit Bissextus Kal. Mart.

Ridiculè ergo nequid graviùs dicam *Celsus* Digest. de verb. signif. l. 98. *Quum Bissextus Kal. est, nihil refert utrum priore an posteriore die quis natus*

*ius sit, & deinceps* VI. *Kal. ejus natalis dies est. Nam id biduum pro uno die habetur, sed posterior dies intercalatur non prior. Ideò quo anno intercalatum non est* VI *Kal. natus, quum bissextum Kalendas est, priorem diem natalem habet.* Ridiculè, inquam, si caussam hanc esse censeat, quòd posterior dies intercaletur non prior. Solidæ illi observationi faciendæ oportuit omnem Antiquitatem, quinimo ipsam rationem impugnatum ire. Cavit enim studiosissimè Julius *Cæsar* ne religiones sui cujusque mensis à loco summoverentur. Regifugium itaque in loco suo nempe in VI. Kal. Mart. semper remansit. Præterea quum in Nonis, Eidibus, & Kalendis numerandis ordine retrogrado progrediamur, & major numerus minorem semper præcedat, Bissextus sextum præcedere debuit.

Cur igitur, inquies, qui anno communi sexto Kal. natus est, anno bissextili priorem diem natalem habet? ℞. Si hoc *Celsi* tempore obtinuit, consuetudini illi ordinationem Julianam non intellectam occasionem dedisse, quia bissextum Kal. Martias comparabant cum XXIV Februarii, sed malè, nam Cæsar diem intercalarem ita intrusit, quasi minimè ad numerum ordinariorum dierum in Februario spectaret, Februarium enim perpetuo 28 dierum esse voluit: si enim Februario attribuisset 29 dies, non opus habuisset geminare VI. Kal. Mart. Nos vero Romanorum more non intercalamus post 23 Februarii, sed illi tantum 29 dies anno bissextili assignamus, quanquam

quod

quod Dionyſius Exiguus geminum F. adſcripſit unum ſc. ad 24. alterum ad 25 Februarii diem, locum veteris intercalationis aliquo modo adumbret. Sed ut in conſpectu habeas diſcrimen utriuſque intercalationis, intuere ſequentem tabulam,

| Intercalatio Romana | | Intercalatio noſtra | |
|---|---|---|---|
| 23 | *VII. Kal. Mart. Terminalia* | 23 | E |
| o | *Biſſext. Kal. Mart.* | 24 | F |
| 24 | *VI. Kal. Mart. Regifugium* | 25 | F |
| 25 | *V. Kal. Mart* | 26 | G |
| 26 | *IV. Kal. Mart.* | 27 | A |
| 27 | *III. Kal. Mart.* . . . . . . . . . | 28 | B |
| 28 | *Prid. Kal. Mart.* . . . . . . . . . | 29 | C |

Cæterùm, ut unde digreſſa eſt revertatur oratio, quum oporteret, ut inquit *Macrobius* cui adſtipul tur *Solinus*, diem qui ex quadrantibus conſit, quarto quoque anno confecto, antequàm quintus inciperet intercalare, Sacerdotes Cæſaris mente non recte perceptâ, quarto non peracto, ſed incipiente intercalarunt h. e. anno labente tertio Juliano. Hic error ſex & triginta annis permanſit, quibus annis intercalati ſunt dies duodecim, quum debuerint novem tantùm intercalari. Sed hunc quoque errorem ſerò deprehenſum correxit Auguſtus, qui annos duodecim ſine intercalari die tranſigi juſſit, ut illi tres dies qui per annos 36 vitio ſacerdotalis feſtinationis excreverant, ſequentibus annis duodecim nullo die intercalato,

de-

devorarentur. Post hoc unum diem secundùm ordinationem Cæsaris, quinto quoque incipiente anno h. e. quarto labente intercalari jussit, & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ, ad æternam custodiam, incisione mandavit.

Annus ergo 52 Julianus primum bissextum emendatum secundùm ordinationem J. C saris accepit, nam si ad 36 annos vitiosæ intercalationis addideris 12, quibus nulla facta est intercalatio, exurgent 48, quibus si tres ordinarios seu communes addideris, quartus sequens, nempe quinquagesimus secundus necessariò bissextilis est. Cyclus ergo Bissextilis Augusti cœpit anno 49 Juliano. Porrò annus Julianus 52 fuit æræ Christianæ septimus: anno enim Juliano 45 ad finem decurrente natus est Dominus noster. Annus itaque quadragesimus sextus Julianus primus fuit æræ Christianæ, seu annorum Christi usitatorum: quare si ad annos Christi labentes adiiciamus 45 præteritos, proveniunt anni Juliani, ut si ad annum hunc 1641 addantur anni 45 producitur annus Julianus 1686: Vel si ab annis datis Iulianis auferamus 45 annos qui ab emendatione Juliana usque ad epocham annorum Christi sunt elapsi, vicissim prodeunt anni Christi usitati, ut si ab anno Juliano 283 quo Censorinus conscripsit libellum suum de Die Natali, auferamus annos 35, remanet annus Christi 238, qui respondet anno Juliano 283. Hinc videre est in annis Julianis illos bissextiles fuisse in quibus a

divisione quaternaria nihil remanebat, in annis verò Christianis, qui à divisione quaternaria ternarium relinquebant: quod ad annum usque Julianum 508, Christi verò 463 obtinuit, quia eò usque recte intercalatum fuit. Sed illo anno Cyclus bissextorum Augustalium fuit solutus, bissextúmque ordinarium sublatum, ut dies unus anticiparetur in gratiam Neomeniæ paschalis, adeò ut hi anni quatuor Juliani 505. 506. 507. 508. sine bissexto sint elapsi, & anno demum Juliano 509. Christi 464 intercalatum sit, isque ordo deinceps ad nostra usque tempora constantissimè servatus fuerit, adeò ut ab illo tempore anni Juliani bissextiles à divisione quaternaria reliquerint unitatem, Christi verò à quaternario exactè divisi fuerint. Illum ergò hodie bissextilem esse dicito qui à quaternario exactè dividitur, vel cujus millenariis & centesimis, si compendio uti velis, omissis, duo postremi numeri à quaternario exactè dividentur. Hac etiam viâ procedere licebit: Omissis millenariis & centesimis, abjice ex reliquis annis 20 quoties id fieri poterit, ex residuo denique 4 quoties & id fieri poterit, si nihil superfuerit annus bissextilis erit; si superfuerit unum. primus erit à bissexto, si duo secundus, atquè ita deinceps. Eodem modo si post abjectos centesimos omnes & vicenarios nihil remanserit, annus bissextilis erit.

CA-

## CAPUT. II.

*De Cyclo Solari.*

Bissextus autem quotiescúnque recurrit, in aliam semper ac aliam hebdomadæ feriam recurrit, donec omnes hebdomadæ ferias percurrerit, sunt enim in Cyclo Solari septem bissexti in septem hebdomadæ dies incidentes E. g. anno 1640 bissextus incidit in diem Lunæ, anno 1636 inciderat in diem Mercurii, anno 1632 in diem Veneris, anno 1628 in diem Dominicam, anno 1624 in diem Martis, anno 1620 in diem Jovis, anno 1616 in diem Sabbathi. Huius rei & diei Dominicæ inveniendæ gratiâ Cyclum Solarem instituerunt, qui est revolutio 28 annorum in qua bissextus per quamlibet diem unius septimanæ & quodlibet festum per quamvis diem variatur. Oritur enim ex ductu cycli hebdomadici in cyclum bissextilem quatuor annorum.

Cyclus autem solaris, dicitur non quod Solis motum ostendat, sed quod ejus beneficio literam Dominicalem cognoscamus, quâ cognitâ scimus diem Solis. Sanè quum literæ Dominicales sint septem primæ Alphabeti, & litera A primæ Januarii semper affigatur, B secundæ & sic deinceps, si annus constaret tantum 52 septimanis, nunquam variaret litera Dominicalis, sed eandem semper sedem obtineret, sed

quum quilibet annus communis præter 52 hebdomadas, contineat insuper diem unum, necessariò litera Dominicalis anni sequentis variat. Deinde quum anno quarto unus dies intercaletur, ideò bis mutatur litera Dominicalis.

Cyclus hic potuisset observari & principium ducere ab anno primo Juliano, nisi intercalationis vitium obstitisset, sed demum observari cœpit anno 49 Juliano & constanter observatus est usque ad annum 508, Christi 463, qui quum Bissextilis esse deberet, communis transactus est & Cyclus Solis Augusti Cæsaris luxatus, ut supra diximus, etiamsi quâ id ratione acciderit, ab historicis non sit perscriptum. Quam luxationem quum perniciosam esse cerneret Dionysius, Abbas Romanus, anno 577 Juliano, cyclum magnum solarem proposuit ortum ex ductu cycli solaris in cyclum lunarem 532 annorum, ut deinceps anni omnes juxta ordinariam bissextorum intercalationem transigi possent. Ideò positâ Christi conceptione in novilunio Paschali die 25 Martii, labente anno Juliano 45, cupiens loco annorum Diocletiani apud Romanos introducere annos Christi, asseruit à conceptione Domini Nostri usque ad 25 Marti, labente anno 248 Diocletiani, elapsos fuisse 532 annos, atque hinc Cyclum suum inchoari voluit ut cum Enneadecaëteride seu Cyclo Lunari inciperet & desineret.

Ac

Ac sanè annos quidem Christi introduxit Dionysius, sed principium eorum postea mutatum fuit, non enim à conceptione, sed à nativitate D. N. J. C. quæ incurrit in 25 Decembris, currente anno Juliano 45, nos hodie annos Christi numeramus, ita tamen ut octiduum adjiciamus post nativitatem Christi, quo præcise cum Kal. Januariis currentis anni Juliani 46 annos Christi inchoëmus. Præterea ordo Cycli Solaris 28 annorum alius fuit in annis; Dionysianis, quàm hodie in annis Christi usitatis; Dionysius enim anno Christi 532 quum literæ Dominicales essent D C inchoavit suum Cyclum Solarem. Nos vero illum incipimus ab anno cujus literæ Dominicales sunt G F iuxta quam rationem annus Christi 532 est nonus Cycli solaris: & ex eadem hypothesi annus primus Christi fuit quoque nonus Cycli Solaris. Ideò quando Cyclum Solarem hodie investigare volumus annis Christi 9 addimus, summam per 28 dividimus, reliquus ex divisione numerus nullâ habitâ ratione quotientis, quippe qui revolutiones Cycli Solaris elapsas duntaxat monstret, erit Cycius solaris anni propositi; e. g. anno, Christi 464 (qui fuit primus annorum Christianorum, qui a divisione quaternaria exactè divisus bissextum notavit & ultra quem extendi non potest Cyclus Dionysianus) adde IX, fient 473. quæ divisa per 28 relinquent 25 pro Cyclo solari anni illius. Ast ante annum illum in annis Ju-

 lianis

nis ſic cyclum inveſtigabimus: anno Juliano I°. litera Dominicalis fuit B (nam quanquam apud Romanos nulla tunc eſſet diſtinctio temporis in hebdomadas dierum, menſes enim tantùm diſtinguebant per Kalendas, Nonas & Eidus, ea tamen apud Babylonios & Aegyptios ſtatim à regno Nabonaſſari in uſu fuit & ſeptem Planetarum nominibus dies ſeptimanæ appellabant. Ideò cognito charactere hebdomadico unius anni Nabonaſſari, qui in annos 52 priores Julianos inciderit, facile reliquis annis feriæ accommodari poterunt, quod & hîc factum) Annus ergo confuſionis quum & biſſextilis fuerit & juxta illam hypotheſim literas habuerit D C, Cycli noſtri nonum fuiſſe oportet. Itaque quum hinc Cyclum ſuum biſſextilem inchoari voluerit Julius Cæſar, addenda ſunt quoque ad annos Julianos 9, ſumma dividenda per 28, reſiduum dabit annos Cycli ſolaris, idque à 52 anno Juliano uſque ad 508 quo luxatus eſt Cyclus, ut jam aliquoties diximus. Horum enim 52 annorum alia ratio eſt propter culpam intercalantium, qui cœperunt intercalare anno III currente, literis G F, quum intercalandum demum eſſet anno IV literis F E ſic autem literas Dominicales annis Cycli accommodabis: Verſus hujus technici

*Gaudet Flaccus Equo, Dorus Cane, Boſphorus Agno*

duas voces primas nempe *Gaudet Flaccus* cum anno primo Cycli pone in imo nodo digiti indicis, terti-

tertiam verò *Equo* cum anno ſecundo in imo nodo medii, quartam vocem *Dorus* cum anno tertio in imo nodo annularis, quintam *Cane* cum anno quarto in imo auricularis, rurſus duas voces *Boſphorus* Agno, cum anno quinto in medio nodo indicis. Denique ut in tribus nodis indicis ſemper geminæ literæ collocentur, in reliquorum digitorum nodis ſingulæ, & ita percurendo 28us annus deſinat in imo nodo digiti auricularis. Duplex litera indicat annum biſſextilem, in quo prior litera à capite anni ad 26 Februarii, poſterior à 26 Februarii ad finem anni uſurpanda eſt.

Literarum autem Dominicalium ope & initialium cujuſque menſis, ſcitur in quam feriam non ſolùm Kalendæ cujúſque menſis quolibet anno, ſed & cujuſcúnque menſis data dies incidat. Literæ initiales ſingulorum menſium technicis his verſiculis continentur.

*Acri Danubium Domuit Geta Barbarus Enſe*
*Grandævam Cybelen Fugit Attys Dindyma Frangens.*

Quorum prima vox Acri oſtendit Januarii literam initialem eſſe A, ſecunda Danubium Februarii literam imitalem eſſe D, & ſic deinceps. Has literas cum Dominicalibus applica digitorum nodis ſeptem, initio facto ab extremo pollice qui primi nodi locum obtinebit, cuique applicabis literam A, inde deſcendendo ad medium nodum cum litera B mox ad imum pollicis nodum ſeu radicem, cui applicatâ literâ C, eodem deinceps

ceps modo perges in reliquorum quatuor digitorum radicibus. Numerandum postea à litera Dominicali ad literam usque initialem (redeundo à litera G si opus fuerit ad literam A) numerus nodorum quos percurreris feriam indicabit.

Exemplis res illustretur. Quærimus in quam feriam inciderint Kalendæ Augusti anni hujus 1641. litera Dominicalis est C applicata pollicis radici, litera initialis Augusti est quoque C, ergo Augustus cœpit a die Dominica. II°. quærimus feriam Kal. Septembrium, litera initialis est F applicata annularis radici, numeremus ergò à Dominicali C applicatâ radici pollicis inclusivè ad literam F, quatuor radices seu literas percurremus, nempe C D E F. Ergo Kal. Septembres inciderunt in feriam quartam nempe in diem Mercurii. Hactenus de Kalendis.

Si de reliquis mensis diebus quæsiveris, abjicies septem à die mensis data, quoties id fieri poterit, ab initiali deinde litera initio facto tot percurres nodos seu literas quot unitates exhibebit tibi residuum, si data dies mensis à divisione septenarii nihil relinquat, assumes septem pro residuo. E. gr. si quæsiveris quotâ feriâ erit XVII Septembris hujusce anni, à XVII tolle septenos quoties id fieri poterit, supererunt tria, numera jam a nodo literæ initialis F, seu radice annularis tres literas hoc ordine F G A incides in extremum pollicem cui assignata est litera A, quæ concurrit XVII Septembris. Numera rursus à nodo

literæ

literæ Dominicalis C. i. a radice pollicis, hoc ordine C D E F G A, percurres sex nodos seu literas, ergo XVII Septembris incidet in feriam sextam, hoc est diem Veneris. Rursus si quæratur feria XXVIIæ Octobris, abjectis septenariis nihil supererit, assume igitur septem initio facto ab A litera initiali Octobris hoc pacto A B C D E F G & desines in radicem auricularis, perge deinde numerare a nodo literæ Dominicalis C ad literam G, hoc pacto C D E F G & percurres quinque nodos. Vicesima ergo octava Octobris incidet in feriam quintam hoc est diem Jovis. Causa cur septem toties abjiciendum, est quia post diem VII, XIV, XXI & XXVIII repetitur semper initialis litera mensis, hoc est primus dies mensis, octavus, decimus quintus, vicesimus secundus, & vicesimus nonus in eandem feriam semper cadunt. Adeo ut his præsuppositis si quæratur e. g. feria XI Decembris anni 1641, hoc pacto exquiri possit, quum Kalendæ inciderint in diem Martis, octava quoque incidit in eandem diem, nona per consequens in diem Mercurii, decima Jovis, undecima Veneris. Rursus si XVIIæ feria quæratur à XV quæ incidit quoque in diem Martis initio facto, XVII cadet in diem Jovis & sic deinceps.

Sed & sine litera Dominicali solo cyclo cognito dati mensis feriam sic inquirito. Datos annos cycli duc in 365. Producto adde bissextos elapsos a principio Januarii ad diem cujus quæritur feria inclusivè; Aggregatum per septem dividatur,

solaribus tecta, à clam, vel ut alii volunt à Calo, sive quòd ea die præco populum ad nundinas calaret, i. vocaret, vel potiùs quod Pontifex in Curia Calabra, si nonæ septimanæ futuræ erant, hoc significabat populo, septies dicto, Kalo Iana Novella, si autem quintanæ essent, quinquies dicto, Kalo Jana Novella.

Nonæ dies dictæ sunt, quæ antecedebant Eidus, sive plenilunium quippe τοῦ διχομήνου σχήματα εἰς τὴν πανσέληνον, octo dies interjecti sunt solidi, ita ut dies primus τῆς διχομήνου sit nonus retro ab Eidibus; ἀπὸ τῆς πανσελήνου hoc est ab Eidibus ad intermenstruum tempus, sunt nunc 16, nunc 15. Ab Intermenstruo ad Nonas sive τὴν διχόμηνον, nunc septem, nunc sex. Kalendæ Junoni dicatæ erant, Nonæ nulli Deo, ideò Nonæ, mox quintanæ, mox septimanæ. i. diei quinto vel septimo affigebantur, nec propterea ulla religio à loco suo summovebatur.

Octavus post Nonas dies Eiduum appellatione veniebat, is fuit apud Veteres Romanos Plenilunii dies, nam Iduare idem est lingua Hetrusca atque dividere, seu in duo partiri, Plenilunium autem mensem lunarem in duo dividit seu partitur. Quot autem Calendas, quot Nonas, quot Idus quilibet mensis habeat, his versibus vulgò exponunt.

*Sex Majus Nonas, October, Julius & Mars*
*Quattuor, at reliqui tenet idus quilibet octo*
*Inde dies reliquos omnes dic esse Kalendas*

No-

nis, Idibus & Calendis denominabit. Considerare 1°. te oportet an dies data Nonas vel Idus vel kalendas præcedat. 2° diei datæ numerum unitate minutum tolle à numero dierum, in quem incidunt Nonæ vel Idus, residuum dabit tibi denominationem quæsitam. E. g. si quæras denominationem 3 Martii, vide primò tertiam Martii præcedere Nonas. Deinde tolle ternarium hunc unitate minutum, nempe duo à septem (Nonæ enim Martii in diem septimam in cidunt) supererunt quinque. Tertia ergo Martii incidit in quintum Nonas. 2°. si quæras denominationem decimæ, 1°. dies hæc Idus præcedit, tolle ergo novem a quindecim (nam Idus Martiæ in decimam quintam incidunt) supererunt sex, decima ergo Martii conveniet cum sexto Idus Martias. 3° si quæras denominationem 10 Januarii, dies hæc Idus præcedit, tolle ergo novem à tredecim (Nam Idus Januarii in 13 cadunt) superérunt quatuor, denominabis ergo 10 Januarii a quarto Idus. Si data dies Nonas et Idus sequatur, diei quoque datæ numerum unitate minutum tolle ex numero dierum totius mensis propositi, sed unitate prius aucto, hoc est primâ die mensis sequentis, in quem Calendæ incidunt. Residuum deinde a Kalendis sequentibus donomina. E. g. quæris denominationem 21 Januarii, tolle 20 a 32 superunt 12. XXI ergo Januarii congruit cum XII Kalendas Februarias Rursus quæratur de 21 Februarii, tolle 20 de 29 supersunt novem. Cadit ergo in nonum Kalen-

das

das Martias. Attamen si post subtractionem supersint duo, vide ne dicas secundo Nonas, vel Idus &c. sed, Pridie Nonas, Idus & Kalendas. Viceversa si proponatur dies à Nonis, Idibus vel Kalendis denominatus, cognosces in quotam mensis diem cadat. Numerum denominationis uno minutum subtrahe ex numero diei in quem Nonæ, Idus, vel Calendæ sequentis mensis cadunt. Reliquus numerus dabit diem mensis quæsitam; e. g. quæritur quota dies sit mensis v. Idus Januarii, tolle quatuor ex 13, supererunt novem. Ergo dies ille incidit in IX Januarii. Secundò quæritur quota dies sit Pridie Nonas Octobris; tolle unum à septem, supererunt sex: dies ergo ille incidit in VI. Octobris. Denique quæritur quota dies sit XVIII Kal. Julii, qui dies est mensis Junii, quum Junius constet diebus triginta & Kalendæ cadant in primam Julii, constat Kalendas Julii cadere in diem 31 à Kalendis Junii numeratam. Tolle ergo 17 de 31 superunt 14. XVIII ergo Kal. Junii congruit cum 14. Junii.

---

## CAPUT III.

### *De Cyclo Lunari.*

CYcli Solaris doctrinâ traditâ, ordo postulat ut de Cyclo Lunari aliquid quoque subicia-

„ amus. Meton Atheniensis Pausaniæ filius, qui „ circa Olypiadem 86 floruit astronomicâ scientiâ „ vir insignis, primus docuit Lunæ ratiocinia annis „ novemdecim cum Sole paria facere: hoc est, No- „ vilunia & Plenilunia post annos novemdecim ad „ eundem anni Solaris diem reverti, quæ ratio „ vera est πλατικῶς, non autem ἀκριβεστάτως: „ Non enim præcisè requiruntur 19 anni seu dies „ 6939 & 18 horæ sed tantum 6939 dies, horæ „ sedecim, scrupula 595 ut novilunia in pristinam „ suam sedem redeant. Luna itaque elapsis annis „ solaribus novemdecim anticipat horam unam „ & 485 scrupula (qualia 1080 horam consti- „ tuunt.) Cæterum quum Julius Cæsar cycli hujus Metonici peritiam esset consequutus, summámque illius intellexisset utilitatem, Calendario à se edito & notis quidem aureis appingi illum curavit, qui propterea Aureus numerus appellatus est, ut noviluniorum perpetuo currentium & recurrentium index esset. Iccircò in anno Confusionis menses Lunares politicos direxit ad menses cœlestes & in hoc incubuit, ut ordinationem anni sui inchoaret à Neomenia Cœlesti: quamobrem Calendis Januariis adscripsit unitatem, ut ostenderet hinc deinceps rationes Lunares petendas esse, & lunationibus alternatim tribuit 30 & 29 dies, quia quum Lunationes singulæ constent 29 diebus & 12 horis (minuta enim hic negligimus) & horæ Calendario commodè applicari non possent, unius Lunationis horæ duodecim al-

alteri Lunationi ad diem integram conficiendam addendæ fuerunt. Secundum ergo Novilunium contigit XXXI Januarii, tertium I. Martii, quartum 31 Martii, quintum 29 Aprilis, & sic in cæteris deinceps mensibus primi anni singulis noviluniis unitatem semper addidit, donec devenerit ad annum secundum Cycli, in quo singulis noviluniis binarium apposuit. Ac primum quidem novilunium incidit in 20 Januarii, cui binarius appositus est; sic anno tertio III nonæ Januarii appositi sunt, anno quarto quatuor vigesimæ octavæ Januarii, anno quinto V decimæ septimæ Januarii, anno sexto VI sextæ Januarii, anno septimo septem vigesimæ quintæ Januarii, anno octavo octo decimæ quartæ, anno nono IX tertiæ, anno decimo X vigesimæ secundæ, anno undecimo XI decimæ tertiæ, anno duodecimo XII tricesimæ, anno XIII. tredecim decimæ nonæ, anno decimoquarto XIV octavæ, anno decimo quinto XV vigesimæ septimæ, anno decimo sexto XVI decimæ sextæ, anno decimo septimo XVII quintæ, anno decimo octavo XVIII vicesimæ quartæ, anno denique ultimo XIX decimæ tertiæ.

Uerùm quia artifices à tempore Julii Cæsariis ἀκρίβειαν hîc non sunt sectati, sed statuerunt novilunia post decimum nonum quemque annum pristinam suam in cælo sedem exactè recuperare, magni & crassi errores in Calendarium & totius anni rationem irrepserunt, fallaxque fuit Noviluniorum Index, qui tamen emendari potuit antici-

pa-

patione Lunari observata, quam sic invenimus: si singulis novemdecim annis anticipet Luna horam unam, scrupula 485, tredecim Cyclis seu annis 247 elapsis anticipabit (ut facile supputanti patebit) horas octodecim et 905 scrupula, quæ habentur pro integro die. In ratiociniis enim lunaribus quotiescunque scrupula consurgunt ad octodecim horas, integra dies computatur. Si igitur anni dati Juliani dividantur per 247, quotiens ostendet dies anticipatos. E. g. hodie agitur annus 1686 Julianus, qui per 247 divisus ostendit quotiente sex dies quos Luna suo motu, à principio editi Calendarii usque ad annum propositum, anticipavit. Hac anticipatione cognitâ & adhibito Calendario Juliano, cui inscripta sit Enneadecaeteris, non difficile erit cognoscere ubi nostro sæculo neomeniæ cælestes hæreant. E. g. si annus 1686 Julianus dividatur per 19 residuum exhibebit 14, qui est anni propositi aureus numerus. Atqui 14 adscripsimus octavæ Januarii; hinc si exclusivè in antecedentia numeremus sex dies pro anticipatione lunari, ascendemus in secundam Januarii, ubi neomenia adscribenda foret, nisi residuum numeri divisi multò superaret dimidiam partem divisoris, tunc enim quotiens unitate augeri potest, ut hic 1686 divisis per 247, supersunt 204 quæ ferè ad integram diem exsurgunt; pro sex ergo assumenda sunt septem, & neomenia adscribetur primæ Januarii, ubi hoc anno Astronomorum Ephemerides illam assignarunt. Anno

N tamen

tamen ſuperiore, aureus numerus Julianus XIII adſcriptus XIX Januarii Novilunium rejicit in XIII, ubi Ephemerides illud adſcripſerunt.

Propter hanc anticipationem Patres Eccleſiarum Orientalium, Paſchalium Noviluniorum ordinem conturbatum videntes, anno Chriſti 323, qui fuit Julianus 368, Novam Enneadecaëteridem a neomenia proxima æquinoctio verno, quæ in XXIII Martii tunc temporis incidit, inierunt, illique unitatis notam appoſuerunt, hoc pacto novilunia in priſtinam ſuam ſedem, quam Julii Cæſaris tempore obtinebant, reſtituentes, quo ſc. feſtum Paſchatis rite ac ſuo tempore celebraretur. Verùm ab illo tempore ad hæc uſque noſtra iterum neglecta eſt anticipationis obſervatio, unde in eoſdem errores, imò quo anticipatio major eſt, majores incidimus, per quatriduum enim Luna anticipavit.

Hæc eſt autem Cycli hujus, ſeu Aurei numeri Eccleſiaſtici, qui à neomenia proxima æquinoctio verno incipit, ut Julianus à Calendis Januariis incipiebat, inveniendi ratio. Quum annum Chriſti 323 qui primus fuit cycli enneadecaëterici, præceſſerint 322 anni, à datis annis Chriſti auferantur 322 & reliquum dividatur in nevemdecim, ſi nihil ſuperfuerit, XIX erit áureus numerus, vel illud ipſum quod ſuperfuerit, indicabit aureum numerum. Vel quia retro ſupputando ſi 17 cyclos numeraverimus, juxta hanc hypotheſim Chriſtus natus reperietur anno Cycli Eccleſiaſtici ſecundo,

cundo, annis Christi adde unitatem, summam per cyclum integrum partire, residuum erit numerus aureus quem quæris. E. gr. hoc anno 1641 inquirendus sit numerus aureus; à datis annis tolle 322 supererunt 1319 qui divisi in novendecim ex divisione relinquent octo, qui est numerus aureus quæsitus. Vel ad 1641. adde unitatem, exsurgent 1642 qui rursus divisi in 19 ex divisione relinquunt octo. Quæratur rursus numerus aureus anni 1652, addita unitate fiunt 1653 quibus divisis in 19 nihil superest, annus ergo ille erit decimus nonus cycli.

---

## CAPUT IV.

### *De Epactis.*

Atque hactenus de Cyclo Lunari, quo anni lunares cum solaribus Epactarum ope æquantur. Epactæ sunt dies quibus solaris annus lunarem superat: quia verò ad Lunæ defectum supplendum, ut cum Sole æquari possit, adjiciuntur, propterea ἐπακταὶ, hoc est, adscititiæ dictæ sunt. Quum enim annus lunaris communis constet diebus 354 qui duodecim tantùm constituunt Lunationes, modò 30, modò 29 dierum alternis, annus vero solaris constet 365. diebus, undecim diebus annum solarem lunari majorem esse constat, & novilunia singulis annis contingere undecim diebus, citiùs quàm anno superiore.

 Dies

Dies ergo illi ſervandi ſunt ſingulis annis,donec excreſcant ad integri menſis numerum, qui tunc in anno lunari intercalandus eſt, ſi volumus ut enneade caeteride elapsâ Soli cum Luna conveniat. Nam quum anni Lunares communes 19 Lunationes tantum 228 contineant, ſi exceſſum undecim dierum in novemdecim duxerimu, exurgent dies 209,ex quibus conficiuntur ſeptem Lunationes extraordinariæ,ſeu Emboliſmicæ, ſex,triginta dierum, ſeptima viginti novem, quæ illis 228 additæ conſtituunt 235 lunationes quot ſc. 19 anni ſolares complectuntur, & quibus elapſis Luna priſtinam ſuam ſedem repetit. Quibus autem annis Cycli intercalandum ſit, docebit te ipſa ratio. Anno primo Cycli annus ſolaris exſuperat lunarem diebus XI. Annus ergo ſecundus ſuperabit XXII diebus, tertius 33 Sed quia 33 excedunt lunationis numerum, 30 de 33 detrahenda ſunt & intercalatione factâ, ſupererit exceſſus dierum trium, qui erunt Epactæ anni tertii. Ad hunc igitur numerum ſi iterum addantur XI dies, erit Epacta anni quarti dierum quatuordecim : quibus alii XI adjecti conſtituunt Epactam anni quinti, nempe 25. Rurſum additi XI dies ad XXV, faciunt dies 36, hoc eſt, Lunationem integram, quæ intercalatur ſexto anno, & ſex inſuper dies qui erunt anni ſexti Epactæ, atque hoc modo uſque ad annum XIX quo ad Epactas 29 addendi ſunt 12 dies, non undecim tantum, ut abjectis 30 ex coacervatione unius & quadraginta habeatur rurſus

ſus Epacta XI ut in principio, quod ideò fit ut ultima Lunatio Emboliſmica, currente aureo numero 19, ſit tantùm 29 dierum, quæ contra hypotheſim 30 dierum ſtatueretur, ſi XI ſimpliciter ut in reliquis annis adderentur, et ex ſumma 30 detraherentur juxta regulam. Quod ſi à ſuperiore Epacta auferremus ſolùm 29 dies: XI tantùm pro more auferre oporteret: ſed quia triginta (loco 29) juxta regulam auferimus, reſtituenda eſt ſequenti Epactæ unitas, quę antecedenti per ſubtractionem juſto majorem auf[illegible]rtur.

Si autem quæras cur ultima Lunatio 29 tantum dies complectatur, non 30, id propterea dicimus fieri, quia ſi triginta dies, ut aliis ſex Lunationibus Emboliſmicis illi aſſignaremus, non redirent novilunia poſt 19 annos ſolares ad eoſdem dies, ſed verſus calcem menſis prolaberentur, contingeréntque uno die tardiùs, quàm ante novemdecim annos. Sed hæc omnia magis patebunt ex intuitu ſequentis tabulæ, quæ ob oculos ſubjicit quæ Epactæ ſingulis numeris aureis reſpondeant, & quibus annis Cycli intercalandum ſit.

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *Aureus Num.* | I. | II. | III. | IV. | V. | VI. | VII. | VIII. |
| *Epactæ* | 11. | 22. | 3. | 14. | 25. | 6. | 17. | 28. |
| *Aur. Num.* | IX. | X. | XI. | XII. | XIII. | XIV. | XV. | XVI |
| *Epactæ* | 9. | 20. | 1. | 12. | 23. | 4. | 15. | 26. |
| *Aureus Num.* | XVII. | XVIII. | XIX. | | | | | |
| *Epactæ* | 7. | 18. | 29. | | | | | |

Hac

Hinc fit ut ubi anni alicujus dati Epactas quærimus, anni illius aureum numerum multiplicemus per 11 & productum dividamus per 30, ut residuum det Epactas illius anni. Quod si productum non possimus dividere, ipsum productum erunt Epactæ. E. gr. quæro Epactas anni 1641: numerum aureum 8 multiplico per 11, Productum 88 divido per 30, residuum 28 sunt Epactæ quæsitæ. Rursus anno 1635 quæro Epactas, numerum aureum 2 multiplico per 11, productum 22 dico esse Epactas, quia per 30 dividi nequit.

Sed & Epactas facili viâ hoc pacto investigabimus: in Pollicis sinistri extremitate, articulo medio & infimo collocandi sunt aurei numeri hoc ordine. In extremitate ponatur annus primus, in medio articulo secundus, in imo tertius. Deinde rursus in extremo quartus, in medio quintus, in imo sextus. Iterum in extremo septimus, atque ita deinceps per reliquos 19 annos, ita ut decimus nonus cadat in extremum pollicem. Numeris aureis qui in pollicem extremum cadent adde decem, illis qui medium viginti, illis denique qui in imum pollicem cadent nihil addito. Ex numeris deinde illis abiice 30, si numerus conflatus major fuerit quam 30, residuum dabit tibi Epactam quæsitam; vel si minor fuerit, ille ipse numerus erit Epacta quam quæris. E. gr. hujus anni 1641 numerus aureus 8 cadit in medium pollicem, adde 20 fiunt 28, qui numerus quia minor est tricenario est Epacta quæsita: anno sequenti aureus

aureus numerus 9 cadit in imum pollicem. Nihil ergo addendum, & Epactas novem esse pronuntio. Anno 1644 numerus aureus XI cadit in medium pollicem, adde 20 fient 31, deme 30, restabit unitas pro Epactis illius anni.

Epactis hoc modo inventis, si subtraxeris decem, quando subtrahi possunt, vel addideris 20 quando decem subtrahi non possunt, exurgent Epactæ in Kalendario novo usque ad annum 1700 exclusivè, tunc enim propter omissionem bissexti, Lunationes uno die seriùs contingent, & auferenda erunt undecim, vel addenda 19 usque ad annum 1900 exclusivè &c.

Epactarum autem quæ initium semper capiunt à Martio usus est ad noscendam ætatem Lunæ, ut Computatores nostri loquuntur, ut autem Græci ποσταίαν τῆς σελήνης h. e. dialecto nostra *Combien nous tenons de la Lune*. Quot sunt menses elapsi a Martio ad mensem propositum inclusivè, tot unitates addendæ sunt & aggregandæ Epactis ac diei propositæ numero, aggregatum erit numerus quem quæris. Abiicienda verò erunt semper 30 quoties aggregatum majus erit quam 30. E. gr. hoc anno 1641. πόςη ἐςὶ τῆς σελήνης; prima Junii? Junius quartus est à Martio, Epactæ 28, dies proposita 1. Aggrega, fient 33. Tolle 30 supererunt tres. Ergo Kalendæ Juniæ sunt tertia Luna. Queritur rursus de XIII Septembris, September septimus est à Martio, Epactæ 28, dies proposita 13. Aggrega, fient 48; tolle 30, supe-

 rerunt

rerunt 18. Decima tertia ergo Septembris eſt decima octava Luna. Tertiò quæritur de xv Februarii, Februarius duodecimus eſt à Martio, Epactæ ſunt xvii, diximus enim initium ſemper capere à Martio præcedente, dies menſis 15. Aggrega, fient 44, tolle 30 ſuperſunt 14. Decima quinta ergo Februarii eſt Luna 14, ſeu plenilunium. Quartò quæritur de quarta Aprilis anni 1639. Aprilis ſecundus eſt à Martio, Epactæ ſunt ſex, dies menſis quatuor, quæ aggregata dant 12, Quarta ergo Aprilis fuit Luna duodecima.

Datâ Epactâ & die menſis hactenus quæſivimus ætatem Lunæ: Nunc datâ die menſis & Lunæ quæramus Epactas Lunares. 1°. dies propoſita eſto 21 Maii anno 1639, Luna triceſima, aufer numerum dierum menſis à numero dierum Lunæ, relinquentur 9, à quibus aufer numerum menſium nempe tres, remanebunt ſex Epactæ lunares. Ubi major numerus non poterit detrahi de minore, addendum 30 minori ſemper in hâc doctrinâ. 2°. Igitur dies propoſita eſto 9 Maii 1641, Luna decima: aufer numerum dierum menſis à numero dierum Lunæ, relinquetur unitas, à qua quum tollere nequeas numerum menſium nempe 3, addenda ſunt prius 30, deinde ſubtractio facienda, reſiduum dabit Epactas, tribus enim de 31 ſubtractis ſuperſunt 28, anni currentis Epactæ.

Rurſus datis Epactis, menſe, & Lunâ, quæramus diem menſis. Aggregatum numeri menſium & Epacta-

Epactarum aufer à diebus Lunæ, residuum dabit diem mensis. Hæreamus in exemplo proposito. Maii Luna decima, Epactis 28 currentibus, in quam mensis diem incidit? Maius tertius est mensis: adde ergo tres ad 28 fient 31 qui quum tolli nequeant ab ætate Lunæ, nempe x, tollendi sunt pro more a xl, supererunt novem. Luna ergo decima cadit in nonam Maii. Sic anno 1639, Epactis sex currentibus, in quam diem cadet Luna tricesima Maii? Adde tres ad sex fient novem, quibus de 30 subtractis relinquetur dies xxi Maii.

Cæterùm de Epactis nihil ampliùs adderemus, si omnes in Epactarum supputatione convenirent, sed quia videmus *Franciscum Maurolycum* Abbatem Messanensem & alios quam plurimos illustris nominis Mathematicos aliam Epactarum supputationem inire, illorum quoque doctrinam hic adtexere operæ pretium fore judicavimus. Primum Cycli lunaris annum ullam Epactam habere negant, quum excrescentia nondum præcesserit, unde errare illos arbitrantur, qui primo Cycli lunaris anno Undecim dant pro Epacta, quæ danda est secundo; Epactam igitur sic investigant. Anni dati numerum aureum multiplicant quidem per xi, sed unitate prius subtractâ, & postea consueto more productum per 30 partiuntur. Residuum illis indicat Epactam anni propositi, quæ nobis semper est Epacta anni superioris. Vel absque Arithmetica supputatione

ponunt primum annum Cycli in pollicis ſummitate, ſecundum in medio, tertium in radice, quartum iterum in ſummitate & deinceps, donec ad annum Cycli ſui pervenerint: quod ſi in ſummitate conſiſtat annus, ſubtrahunt unum: ſi in medio articulo addunt novem: ſi in radice addunt novemdecim, atque ita habent anni quęſiti Epactam. E.gr. hoc anno 1641 qui octavus eſt Cycli & in medium pollicem incidit, ad octo adiiciunt novem, fiunt ſeptendecim, quę nobis anni ſuperioris, illis vero hujuſce anni Epactæ fuerunt.

Deinde ætatem Lunæ hoc pacto venantur. Ad Epactam inventam addunt Lunæ Regulares, abjectis 30 ſi ſumma tricenarium excedat, atque ita ætatem Lunæ habent in Calendis Menſium. Cui tamen ętati ſic inventę, propter anticipationem lunarem à tempore Concilii Nicęni, quatuor ſemper addenda ſunt, ſi exacta novilunia habere voluerimus. Sed antequam id exemplis illuſtremus, exponere nos oportet quinam ſint illi Regulares & quęnam ſit illorum inveniendorum, ſeu memorię infigendorum ratio. Regulares naſcuntur ex quinque diebus, qui ultra dies anni ſuperſunt; factâ diviſione ſingulorum menſium per 30. Illorum initium ſumitur à Septembri: quia ibi innovatur Epacta. September habet quinque pro Regulari, quoniam ſc. anno primo cycli lunaris, Luna quinta incidit in Calendas Septembris. His Septembris Regularibus

addę

adde numerum dierum Septembris, fient 35. Ex quibus totam Lunationem Septembris, nempe 30, detrahe, supererunt quinque pro Regularibus Octobris. Rursus jungantur quinque cum 31 numero dierum Octobris, fient 36. Unde si detraxeris Lunationem Octobris nempe 29 ( Lunationes enim, ut sæpe jam monuimus, alternis sunt 30 & 29 dierum, & imparibus mensibus datur Lunatio 30 dierum, paribus vero 29) supererunt septem pro Regularibus Novembris, & ita deinceps, supputando per singulos menses usque ad Augustum, reperientur Regulares Januarii 9, Februarii 10, Martii 9, Aprilis 10, Maii 11, Junii 12. Julii 13. Augusti 14. Septembris 5. Octobris 5. Novembris 7. quod memoriæ caussa Adonicis hisce versibus exprimere utcunque conati sumus.

*Iure Kalendis* *Jana Kalatur*,
*Ludite Matres*, *Nectare ( & ) Omnis*
*Ebrius Esto* *Græxque Gregisque*
*Chara propago.*

Quorum sex primi constant duodecim vocibus, quæ singulis mensibus respondent, *Iure* Januario, *Kalendis* Februario, *Jana* Martio, *kalatur* Aprili, *Ludite* Maio & sic deinceps. Locus autem quem singularum haruncce vocum literæ initiales in Alphabeto occupant ostendunt numerum Regularium. E.gr, vox *Matres* respondet Junio cujus litera initialis M duodecimum locum occupans in Alphabeto ostendit Regulares Junii esse 12. Regu-

Regularibus Lunæ expositis, regulam de ætate illorum ope inuestiganda illustremus. Quæritur ætas Lunæ Kalendis Martiis anni 1641 Epactæ sunt 17, juxta illorum ὑπόθεσιν, initium sumentes à Septembri anni superioris Regulares sunt 9, adde 9 ad 17 fient 26. Kalendæ ergo Martiæ sunt Luna 26, idque juxta Kalendarium Nicænum & Paschatis in Vetere Kalendario investigationi congruenter, sed hodie propter anticipationem addenda sunt quatuor, fient 30. Dicemus ergo Kalendas Martias esse Lunam tricesimam, & eadem die vel sequenti Lunam innovatum iri. Rursus quæratur ætas Lunæ in Kalendis Augusti. Epactæ sunt 17, Regulares 14, quæ simul composita dant 31 quibus adde 4 fient 35, de quibus detractis 30, supererunt quinque; Kalendis ergo Augustis Luna quintana est. Denique quæramus ætatem Lunæ Kalendis Octobribus, Epactæ jam sunt hîc anni sequentis quæ initium ceperunt à Septembri, sunt ergo 28, quibus adde quinque Regulares, exsurgent 33 & quatuor pro anticipatione Lunari, fient 37. Detrahe 30, superrerunt 7: Kalendis ergo Octobribus Luna septimùm jam lucet.

Kalendarum ætate sic quæsita, hoc pacto ætas Lunæ in reliquis diebus mensis quæritur. Ad ætatem inventam in Kalendis jungitur numerus dierum elapsorum de mense, abjectâ Lunatione mensis, si summa Lunationem excedit. E. g. si quæsiveris quota fuerit x Luna 27 Augus-

Augusti amni hujus 1641 ætas Lunæ, Kalendarum die, fuit quinque dierum, qui additi ad dies 26 elapsos conficiunt 31. Tolle lunationem Augusti quæ, ut in mense pari, est 29 dierum, supererunt duo, dic igitur 27 Augusti Lunam secundum jam diem lucere. Quæratur iterum ętas Lunę 28 Octobris, ad 7 ætatem Lunæ in Kalendis adde dies 27. elapsos, fient 34, tolle 29, supererunt quinq;, vigesima ego octava Octobris Luna erit quintana. Si quęras rursus de 17, ad 7 adde 16 fient 23 decima septima ergo Octobris, Luna erit dierum 23; atque ita de cęteris.

Sed ne qui juxta novum Kalendarium supputare volunt, habeant hîc quod conquerantur, exponemus & hic quęnam in hoc negotio via insistenda sit. Epactâ cognitâ duo adhuc cognoscenda sunt 1. quænam Epactę Kalendas mensium occupent. 2, quinam menses duas Epactas XXIV & XXV item XXV & XXVI eidem diei adscribant. Ac primo, Januarii Kalendę Epactas habent 30, Februarii 29, Martii 30 Eprilis 29 Maii 28, Junii 27, atque ita semper decrescendo usque ad Kal. Decembris, quę Epactas habent 20, hoc tamen observato Kalendis Augusti tribuendam esse geminam Epactam XXIV & XXV. 2. menses illos duas Epactas eidem diei adscriptas habere, qui diebus constant tantum 30 vel 28, quibus addendus quoque Augustus, quanquam sit dierum unius & triginta. His presuppositis sic Novilunia investigabis: Triginta

à reliquis diebus qui denarium superant, decem detrahenda sunt, ut veteris Kalendarii dies habeantur. Rursus quęratur Novilunium mensis Septembris. Epactę currentes sunt octodecim, Epacta Kalendarum 23, ab 18 ad 23 perpercurres sex nodos, novilunium ergo contingit sexta Septembris in novo Kalendario & 27 Augusti in vetere. Tertio quęritur novilunium mense Junio, Epactę Kalendarum sunt 27, ab 18 ad 27 si simpliciter supputaremus, percurrerentur decem nodi, sed quia Junius est ex numero illorum mensium quibus eidem diei gemina adscribitur Epacta, articulo secundo externo annularis affiguntur duę Epactę XXIV & XXV, secundo item medii 25 & XXVI, vigesima septima Epacta cadit in nodum secundum externum indicis, atque ita percurruntur tantùm novem articuli. Dicimus ergo Novilunium contigisse nonâ Junii in novo Kalendario, 30 Maii in vetere.

At si Epacta currens major sit Epactâ Kalendarum, ubi ab Epacta currente numerando deveneris ad Epactam 30, ad articulos quos percurreris adde Epactam Kalendarum, aggregatum dabit tibi novilunii diem. E. g. quæro quâ die contigerit novilunium Decembris anni 1639. Epactæ currentes fuere 26, Epactæ mensis 20. Numerando à secundo nodo externo indicis in quem cadunt Epactæ 26 usque ad imum nodum externum ejusdem indicis, in quem cadit Epacta 30,

per-

tinget ergo novilunium 3a Decembris in novo & 23a Novembris in vetere Kalendario. At si Epacta currens major sit Epactâ primæ diei, tolle illam à 30, residuo adjice cum Epacta primæ diei unitatem, aggregatum dabit tibi rursus diem Novilunii: e. g. quæris novilunium in mense Decembri anni 1639, Epactæ currentes 16 tolli non possunt ab Epacta mensis 20, tollentur ergo à 30, supererunt 4 quibus si cum 20 unitatem adjeceris, habebis. 25. Contigit ergo Novilunium 25 Decembris in novo, 15 in vetere Kalendario. Sed si inter Epactam currentem & Epactam primæ diei XXIV & XXV eidem diei adscribantur, nulla erit unitas addenda: e. g. quæris novilunium Novembris anno 1639. Epactam currentem 26 non potes tollere ab Epacta mensis XXI, tolle à XXX supererunt quatuor, quibus adde sine ulla unitate 21, quia inter Epactam primæ diei 21 & Epactam currentem 26, in mense Cavo, Epactæ XXIV & XXV eidem diei adscribuntur, habebis XXV. Novi'unium ergò contigit $\frac{25}{15}$ Novembris. Rursum si quæris Novilunium Junii anno 1641, Epactas currentes 18 tolle ab Epactis primæ diei xxvii nullâ unitate additâ, quia inter Epactam primæ diei mensis xxvii & Epactam currentem 18 intercedunt Epactæ xxiv & xxv eidem diei adscriptæ, supererunt 9. Contigit ergo novilunium nonâ Junii in novo, trigesimâ Maji in vetere Kalendario, atque ita de reliquis.

Cognito die Novilunii, facillimè ætas Lunæ

quolibet die dato deprehendetur, si à die novilunii inclusivè dies elapsos ad diem datam inclusivè quoque numeremus. E. g. quæro quota fuerit Luna die 27 Junii, à 9 inclusivè ad 27 inclusivè dies elapsos novemdecim numeramus. Luna ergò fuit decima nona. Quæro rursus de quinta Julii, à nona Junii ad quintam Julii numerantur dies utrinque inclusivè 27. Ergò die quintâ Julii ætas Lunæ fuit dierum 27. Plura possemus addere, nisi compendii hujus ratio repugnaret. Unum tantum addemus: Novilunia sic investigata ferè semper uno die seriùs deprehendi quàm in cœlo contingant, adeò ut si vera & exacta novilunia requiramus, diei præcedenti novilunium assignare debeamus.

---

## CAPUT V.

*De Paschate.*

CÆterùm quum totus Computus Ecclesiasticus eò tendat, ut festum Paschatis ac proinde reliqua festa mobilia & quæ à Paschate pendent ritè celebremus, ad Paschatis ratiocinia transire nos oportet. Inde quid de festis mobilibus statuendum sit videbimus, ac tandem de loco Solis & Lunæ in Zodiaco singulis mensibus & diebus, de Indictionum Cyclo, ac Josephi Scaligeri periodo Juliana & illius utilitatibus aliquid subnecte-

nectemus, atque hoc pacto huic tractatui finem imponemus.

Pascha igitur quod attinet: Quum certamen ortum esset inter Orientales & Occidentales Ecclesias, de tempore quo Pascha esset celebrandum & Occidentales Ecclesiæ vellent Pascha celebrari Dominicâ eâ quæ proximè sequeretur Pascha Judæorum, Orientales verò Ecclesiæ statuerent celebrandum esse ad Judæorum morem & exemplum in ipso plenilunio, quod vel in Æquinoctium vernum incidit, vel illud proximè sequitur; hæc controversia tandem in Concilio Nicæno per Constantinum Magnum sic composita est, ut Æquinoctium vernum in XXI Martii fixerint, & novo cyclo Lunari novilunia & plenilunia singulis novemdecim annis recurrentia indicaverint, atquè adeò hujusce rei gratiâ tres Canones constituerint. 1°. ut 21 Martii haberetur pro Æquinoctio verno. 2°. ut plenilunium illud observaretur, quod vel in ipsum Æquinoctium vernum incidit, vel proximè illud sequitur. 3°. ut dies Dominica quæ illud plenilunium statim sequitur esset ipsa dies Paschatis. Constitutio illa egregia fuit pro tempore, sed quum Patres Nicæni crederent Æquinoctium in 21 Martii perpetuò hæsurum, in eo falsi sunt, ab illo enim tempore valde mutatum est Æquinoctium vernum, & integris diebus decem retrocessit. Novilunia quoque retrocesserunt diebus quatuor & ampliùs: Ideò fit ut quum Pascha nostrum

celebremus juxta institutionem Conclii Nicæni, proinde ac si æquinoctium adhuc incideret in XXI Martii & novilunia nihil retrocessissent, tam procul sæpe abscedamus à vero Paschatis celebrandi tempore, quod non fit apud Novi Kalendarii Sectatores, ut qui Æquinoctia ac novilunia in pristinam suam sedem restituerint.

Ut ergo Paschatis celebrandi tempus deprehendere possimus, inquirenda est nobis Luna decimaquarta, vel in incidens in Æquinoctium vernum, vel illud proximè sequens, & Pascha rejiciendum in Dominicam sequentem. Investigandæ autem Lunæ 14ᵃ ratio facilis est & expedita in novo Kalendario ex iis quæ supra diximus. Ex. g. anno 1615 primo Cycli Epactâ currente 1, quæritur quo die contigerit novilunium mense Martio. Epactæ Kalendarum fuere 30 ac proinde novilunium contigit 30 Martii. Plenilunium ergo antecedens, quum præcesserit diem Æquinoctii seu 21 Martii, inutile fuit ad Paschatis celebrationem. Numerandum igitur a 30 Martii inclusivè 14 plenilunium Paschale cadet in 12 Aprilis, quæ dies fuit Dominca, ac proinde Pascha in sequentem diem Dominicam 19 Aprilis rejectum est. Nunquam enim Pascha in diem termini seu plenilunii sui cadit, vel quod facilius est, ad diem Novilunii adde 13 habebis Lunam 14: si aggregatum excedat 31 in Martio, abiice dies illos 31 residuum indicabit diem Aprilis in quem cadet plenilunium. E. gr. anno 1641,
novi-

novilunium menſe Martio contigit die 13, adde 13 fient 26. Plenilunium ergo ſeu Luna decimaquarta incidit in diem 26 Martii, & Paſcha celebratum die Dominicâ ſequenti, nempe 31 Martii, Rurſus anno 1615 ad 30 diem Novilunii adde 13 fient 43, à quibus quia excedunt 30, tolle dies Martii 31 ſupererunt 12. Luna ergo decima quarta incidit in duodecimam Aprilis.

Anno ſecundo Cycli 1616 Epactâ currente 12 Novilunium cadit in 19 Martii, à qua numerando 14 incluſivè plenilunium cecidit in primam Aprilis. Paſcha celebratum ergo die Dominicâ proximè ſequenti, tertiâ nempe Aprilis. Anno 1617 Cycli tertio Epactâ currente 23, Novilunium contigit octavâ Martii, Plenilunium ergo incidit in ipſam Æquoctii diem, nempe 21 Martii, Paſcha ergo celebratum die Dominicâ ſequenti, 26 Martii & ſic de cæteris. In vetere verò Kalendario ſic Plenilunia Paſchalia inveſtigabimus. Ætas Lunæ quærenda in Kalendis Martiis juxta *Maurolyci* methodum, non additis tamen quatuor illis quæ addenda præcipit, ut vera & exacta novilunia habeantur. E. g. anno 1615 primo Cycli Epactâ currente o, Regulares ſunt 9: Kalendæ ergo Martiæ ſunt Luna nona: Luna ergò decimaquarta cecidit in ſextam Martii, quæ quia 21 Martii antecedit inutilis fuit ad Paſchatis celebrationem, tranſeundum itaque eſt ad Aprilem, cujus Regulares ſunt decem; Kalendæ ergò Aprilis ſunt Luna decima quarta, ergo incidit in quintam Aprilis.

Anno

erit Luna decima septima. Decima quarta ergo incidet in diem 14, ac proinde inutilis erit ad Paschatis celebrationem; quapropter quærendum est de Kalendis Aprilibus, ad 18 adde 10 fiunt 28, Kalendis ergò Aprilibus Luna erit 28, Quarta ergò Aprilis Luna renovatur, ac proinde plenilunium cadet in 17 Aprilis.

Verum operosâ hac methodo omissâ, sic plenilunia Paschalia longè faciliùs investigabimus. Adhibenda sunt residua Epactarum, hoc est Epacta currens de 30 tollenda est, residuum vocatur residuum Epactarum: De quo residuo etiam quumprimis utili ad ætatem Lunæ investigandam, aliquid doctrinæ Paschali postea subnectemus. Ad residuum igitur hoc Epactarum adjice 17, abjice autem 31 quoties numerus excedet 31, reliquum erit Luna decima quarta, seu Plenilunium Paschale. Cur autem 17 addjiciantur pro perpetua methodo, caussa hæc est, quod anno ultimo Cycli Epacta nulla est (Integra enim Lunatio 29 dierum illi adscribitur) ac proinde nullum residuum, terminus autem Paschalis illius anni, nempe decimi noni est 17 Aprilis, qui sunt prepetui Regulares addendi omnibus residuis Epactarum; ast anno octavo Cycli, ut hoc anno 1641, Epactæ sunt 28, residuum ergò 2, quibus additis 17 decima nona Martii ex regula erat terminus Paschalis, sed propter anticipationem 22 Martii, pro 19 Martii assumta est 18 Aprilis pro plenilunio Paschali. Dic ergo Domi-

prili, Aprilis menſis ſecundus eſt, tolle ergo duo de duobus, nihil ſupereſt. Ergo Novilunium contigit ultimâ Martii, & hoc caſu alterum contingit novilunium die 29 menſis ſequentis, ſeu potiùs menſis dati, cujus novilunium quærebas. Maius eſt tertius menſis, tolle tria de duobus, nequit: tolle de 32 reſtabunt 29, ergo 29 Maii contigit Novilunium. In Junio tolle quatuor de 32, reſtabunt 28, ergo Novilunium contigit 28 Junii. Sed ſi quæſiverimus de novilunio Januarii anni hujus 1641. Quum Martius in hac methodo inchoet annum, Januarius & Februarius pertinent ad annum 1640, in quo Epactæ fuere 17, reſiduum ergo tredecim. Tolle ergo undecim pro numero quem Januarius in menſibus obtinet, de 13, ſupererunt duo, Novilunium ergo contigit 2 Januarii; in Februario tolle 12, ſupererit unitas, novilunium ergo factum eſt primâ Februarii.

Hactenus præſtitimus quod polliciti eramus, ſuperſunt feſta mobilia, quæ vocant, diſcutienda. Die Paſchatis ſemel cognitâ, nihil faciliùs hac doctrinâ, ſi enim ante diem Paſchatis ſex Dominicæ numerentur in Kalendario, habebitur Dominica Quadrageſimæ: quam proximè præcedit Dominica Quinquageſimæ, & ante hanc Sexageſimæ, quam præcurrit Dominica Septuageſimæ. Rurſum ſi poſt Dominicam Paſchatis in Kalendario numerentur quinque Dominicæ, quinta erit Dominica Rogationum, & proximè ſequens
die

dies quintus, erit dies ascensionis Domini: septima autem Dominica erit Pentecoste, cui statim succedit Dominica Trinitatis. Sic autem numerandæ sunt Dominicæ Trinitatis usque ad adventum Domini. Videndum quot effluxerint Dominicæ à festo Paschatis ad festum inclusivè S. Georgii, quod cadit in diem 23 Aprilis, hoc est, videndum est quoties numerus septem in diebus post Pascha usque ad diem S. Georgii inclusivè contineatur. Tot enim Dominicæ addendæ erunt ad 24, ut habeatur numerus Dominicarum inter Pentecosten & adventum Domini. Verbi gratiâ quando Pascha celebratur die 26 Martii, sequuntur quatuor Dominicæ usque ad festum Georgii, quæ additæ ad 24 producunt 28 Dominicas à festo Pentocostes ad adventum Domini. At quando, Pascha incidit in 3 diem Aprilis, sequuntur duæ tantùm Dominicæ ad festum Georgii, quæ additæ ad 24 constituunt 26 Dominicas Trinitatis. Quod si nulla Dominica sequatur diem Paschatis usque ad festum Georgii, erunt tantùm 25 Dominicæ Trinitatis, sin etiam Pascha post festum Georgii celebretur, erunt tantùm 23 Dominicæ à Pentecoste usque ad adventum, ut hoc anno 1641 Pascha celebratum fuit 25 Aprilis, biduo post festum Georgii, ergo à Pentecoste numerabuntur 23 hebdomades usque ad Dominicam primam Adventûs exclusivè.

Quâ autem die mensis celebretur Dominica prima adventûs hoc pacto investigabis. Quum initium

initium adventus ſemper celebretur eâ Dominicâ quæ feſto S. Andreæ proxima eſt, vel in ipſum feſtum incidit, manifeſtum eſt Dominicam primam Adventûs celebrari poſſe tribus diebus vel ante vel poſt feſtum Andreæ, quod cadit in 30 Novembris. Cognita litera initiali Decembris F, neceſſariò litera finalis Novembris, ſeu quæ feſto Andreæ apponitur eſt E. Aſcende ergò vel deſcende uſque ad literam Dominicalem anni currentis, facile deprehendes & diem menſis & Dominicam propinquiorem feſto Andreæ. E. gr. hoc anno 1641 litera Dominicali C. currente, ſi à litera E aſcendas in Novembri uſque ad literam C percurres biduum tantummodo. D enim apponetur 29 Novembris, C 28. Sed ſi à litera E deſcendas, in Decembri percurres uſquè ad literam C. quinque dies. F enim apponetur primæ, G ſecundæ, A tertiæ, B quartæ, C quintæ. Ergo 28 Novembris dies eſt quæſita & Dominica propinquior feſto Andreæ, ſed hoc ex ſequenti tabella meliùs conſpicietur.

| November | | December | |
|---|---|---|---|
| 28 | C. *dies Dominica propinquior* | 1 | F |
| 29 | D | 2 | G |
| 30 | E *Feſtum Andreæ* | 3 | A |
| | | 4 | B |
| | | 5 | C |
| | | | *Dominica remotior* |

Sed

Sed & festa mobilia nempe Septuagesimæ, Cinerum, Paschatis, Ascensionis Domini, Pentecostes & illus Festi, quod corporis Christi vocant, hoc quoque pacto investigari solent. Radices illorum festorum, hoc est dies mensium ante quos nunquam festa illa celebrari queunt, ante omnia quæruntur. Radix igitur Septuagesimæ est 18 Januarii, Cinerum 4 Februarii, Paschatis 22 Martii, Ascensionis 30 Aprilis, Pentecostes 10 Maji & Corporis Christi, 21 Maji quod Barbaris hisce versibus memoriæ consulentes complexi sunt.

*Octodecim Janus, Februus sed quattuor optat.*
*Viginti duo Mars, Triginta poscit Aprilis,*
*Bis quinque at Majus, ter septem postulat idem.*

Radice inventâ numerantur dies elapsi à radice Paschatis h. e. à 22 Martii usque ad diem Paschatis inclusivè: Totidem diebus reliqua omnia festa distant à radicibus suis: e. g. hoc anno 1641 Pascha in novo Kalendario celebratur 31 Martii, novem ergo dies distat Pascha à radice sua Numera ergo seu potiùs adde novem dies ad 18, Januarii, habebis 27 pro Septuagesima. Ad quartam Februarii adde novem habebis 13 pro die Cinerum; ad 30 Aprilis adde 9 habebis 9 Maji quæ fuit dies Ascensionis; ad diem 10 Maji adde 9 habebis 19 pro Pentecoste; ad diem 11 Maji adde novem hebebis 30 Maji, quæ fuit dies festi sacrilegi. Sic in Kalendario nostro hoc anno quo Pascha celebravimus 25 Aprilis, adde ad 25 Aprilis, novem

novem dies reliquos Martii post vigesimam secundam habebis 34 pro distantia Paschatis à radice sua, sic ad 18 Januarii, adde 34 dies fient 52 dies, abjice dies Januarii 31, supererunt 21. Vigesimâ ergo primâ Februarii celebrata est Septuagesima in vetere Kalendario: sic ad 10 Maji adde 34 habebis 44, deme dies 31 Maji supererunt 13, decima tertia ergo Junii habebis festum Pentecostes, atque ita de cæteris. Nisi quod in annis bissextilibus addenda est insuper unitas diei Septuagesimæ & Cinerum, ita tamen ut quando dies Cinerum fuerit 29 vel etiam major quam 29, unitas non addatur sed 28 detrahantur, ut dies Cinerum incidat in mensem Martium: e. g. distantia à radice Paschatis ad Pascha fuit 34 dierum, ad radicem festi Cinerum nempe 4 Februarii, adde 34 fient 38, hic quia numerus excedit 29, detrahenda sunt 28, supererunt decem, quæ ostendunt diem Cinerum incidere in 10 Februarii. Ast anno 1640 à 22 Martii in novo Kalendario ad Pascha elapsi sunt dies 17, ad radicem Cinerum nempe 4 adde 17, fient 21, sed propter bissextum adde unitatem fient 22. Ergo 22 Februarii celebraverunt diem Cinerum, atque ita in reliquis annis bissextilibus in utroque Kalendario.

CA-

## CAPUT VII.

*De loco Solis & Lunæ in Zodiaco singulis diebus.*

Sed horum omnium jam prolixior æquo fuit tractatio, ad alia ergo transeamus, ac quæramus primò quo in signo & gradu Zodiaci Sol quotidiè commoretur. Primò infigendi sunt memememoriæ hi duo versus:

*Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo.*
*Libráque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.*

Quibus I°. indicatur ordo quo signa cælestia ab Astronomis disponuntur, ita ut initium fiat ab Ariete, & agmen claudant Pisces. Quum autem Sol primum gradum Arietis ingressus faciat Æquinoctium vernum, constat mense Martio Solem ingredi signum Arietis, mense Aprili signum Tauri, Majo signum Geminorum, & sic deinceps. 2° his versibus indicatur quod signum alteri signo è directo in cœlo opponatur. Nam signum primum in primo versu directè opponitur signo primo secundi versûs, & signum ultimum primi versûs signo ultimo secundi versûs, & ita de reliquis. Horum signorum sex prima vocantur septentrionalia, quia ab Æquatore recedunt versùs Septentrionem, sex postrema meridionalia quia ab Æquatore recedunt versùs meridiem. Sed hæc sunt alterius loci. Ut autem sciamus quo die mensis Sol singula hæc signa ingrediatur, duo quoque hi versus sunt observandi

*Lux*

*Lux Inimica Lucet Laganis, Misceto Minister*
*Nectar Nocte Nova, Orbetur Nysßia Meros.*

In quibus singulæ voces singulis mensibus respondent & literæ initiales

9 11 12 13 14 ostendunt diem quo Sol signum
I L M N O

mensis sui ingreditur: e. gr. Januario respondet vox Lux, L ergo locum XI occupans in Alphabeto ostendit Solem ingredi Aquarium die undecimâ Januarii. Julio respondet vox Nectar, N ergo 13 locum occupans in alphabeto ostendit Solem ingredi Leonem 13 Iulii, & sic deinceps.

Hi quinque numeri sunt instar radicum, quibus affigitur ingressus Solis in signum aliquod. Datâ die mensis si quæritur ubi Sol tunc temporis existat, si dies data radicem præcedat, ad 20 addendus est numerus diei datæ, aggregatum indicabit quo in gradu signi Sol existat ea die. E. gr. si quis scire desideret ubi Sol existat die 10 Aprilis quia 10 Aprilis præcedit radicem, ad 20 adde 10, exurgent 30, ergo die decima Aprilis Sol obtinet 30 gradum Arietis, siquidem undecima demum ex hypothesi ingreditur signum Ta ri, si quæras de diebus post radicem incidentibus, numera dies elapsos à radice ad diem datam inclusivè, numerus dierum elapsorum indicabit quod quæris. E. gr. quæritur ubi Sol existat die 20 Aprilis: ab 11 Aprilis ad 20 numerantur dies integri decem: ergo 20. Aprilis Sol occupat 10 gradum Tauri. Sed hæc omnia, ut cætera ejusmodi, κατὰ πλάτος, non κατ' ἀκρί-

ἀκρίβειαν intelligenda ſunt.

Vidimus de Sole, videamus jam de Luna. Queritur in quo ſigno ſit Luna & quantùm diſtet à Sole. Ætatem Lunæ in Kalendario quæſitam multiplica per duo & productum divide per quinque, quotiens indicabit quot ſignis Luna diſtet à Sole. Si verò ætatem Lunæ per Epactas quæſiveris, ætati inventæ adde unitatem (quia novilunium per Epactas ut ſupra diximus die uno ſeriùs oſtenditur) & poſtea perge eo modo quo dictum eſt, ſi poſt diviſionem nihil ſuperſit dabuntur ſigna integra, ſi vero aliquid ſuperſit, quot unitates ſupererunt, tot quintæ partes, ſigni indicabuntur, & quia ſignum 30 gradus complectitur, ſingulæ unitates ſenos gradus indicabunt. E. gr. hoc anno 1641 quæro in quo ſigno ſit Luna die 27 Novembris & quot ſignis diſtet à Sole, Luna quintana eſt juxta Ephemerides, & quartana juxta Epactas, quinque igitur per duo multiplica, producentur decem, quæ per quinque diviſa dabunt duo, duobus ergo ſignis Luna diſtat à Sole.

Sed ſi quæras in quo tandem ſigno ſit illa, priùs quæſitum oportuit in quo ſigno ſit Sol. Radix Novembris eſt 13, ut oſtendit vox Nyſeïa, numera à 13, ad 27 incluſivè habebis 15, Sol ergo 27 Novembris occupat 15 gradum Sagittarii, à quo gradu incluſivè numera duo ſigna, cades in 15 gradum Aquarii, Luna ergo quinta exiens eſt in 15 gradu Aquarii. Si quæſiveris in quo ſigno ſit Luna

Luna die 30 Novembris, Luna dies octo jam lucet, multiplica 8 per duo habebis 16, quæ divisa per 5 dabunt 3 in quotiente & gradus sex. Igitur quum 30 Novembris, Sol sit in 18 gradu Sagittarii, numera á 18 Sagittarii tria signa & sex gradus, Luna cadet in 24 gradum Piscium.

Hoc pacto Luna in primo aspectu quadrato, quum sc. est dierum septem cum semisse, abest à Sole tribus signis; in Plenilunio sex signis; in secundo aspectu quadrato quum dierum est 22 cum semisse, 9 signis. In coitu denique, quumdierum est 30, duodecim signis. Per quot autem horas Luna noctu luceat sic investigabis: Ætatem Lunæ crescentis, vel residuum quum decrescit multiplica per 4, productum divide per quinque. Tot horas lucebit quot quinarios habueris, atque insuper tot quintas partes horæ, quot supererunt unitates. E. g. hoc anno 1641, quæritur de 37 Novembris, quot horas Luna luceat? Ætatem Lunæ in Kalendario quæsitam quinque multiplica per 4, habebis 20, quibus divisis per quinque, habebis quatuor horas quibus lucebit Luna, hoc est, tertiam partem noctis. Si quæsiveris de 30 Novembris, ætatem Lunæ 8 multiplica per 4, habebis per quinque divisis $6\frac{2}{5}$: Luna ergo lucebit sex horas & $\frac{2}{5}$ partes horæ unius, hoc est paulò plus dimidiâ nocte. Si quæsiveris de nona Decembris, residuum Ætatis seu complementum ad 30, nempe 13 (dies enim Lunæ 17 effluxerunt) multiplica per 4, habebis 52 quæ divisa per 4

P dant

dant 10$\frac{2}{7}$ Luna ergo lucebit 10 horas & $\frac{1}{2}$ unius horæ. Igitur in omni Plenilunio Luna lucet duodecim horas, hoc est, totam noctem quantacunque sit: In omni quadratura sex horas, hoc est, dimidium noctis. Quum Luna quinta est aut 25, per quatuor horas seu tertiam partem noctis: si quarta est, aut 26, per tres horas, seu quartam partem noctis. Luna autem crescens vesperi lucet, decrescens mane. Cæterùm hic horas intelligimus, quas inæquales alii, alii verò temporales vocant, quarum 12 semper perficiunt noctem, vel diem quantacunque sit. Verùm de his hactenus satis.

## CAPUT VIII.

### *De Cyclo Indictionum.*

DE Indictionum Cyclo aliquid ut subnectamus postulat instituti nostri ratio. Dicitur Augustus Cæsar, anno tertio ante natum Christum, Indictionum Periodum excogitasse, ut indicium esset subditis, quando tributa persolvenda essent. Nam primo quinquennio exeunte, aurum imperatum solvebant: sub finem secundi argentum: sub finem denique tertii æs & ferrum ad armorum reparationem, atque ita tria illa quinquennia repetita, tributi Romani Indictio dicebantur. Alii, inter quos est magnus ille Scaliger de Emend. Temp. l. 5. volunt Indictiones cœpisse dun-

taxat

taxat tempore Conſtantini Magni, qui quum imperare cœpiſſet a. d. 8 Kal. Octobres anno Chriſti 307, quinquennalia dedit anno 312, rurſus autem vicennalia anno 327, annis quindecim ſolidis inter utraque elapſis. Unde factum eſt ut hinc tempora cœperint putare per tria quinquennalia, ſive per tres Indictiones (luſtrum enim & Indictio unum idemque erant) & totum illud tempus Indictionem vocaverint, cujus initium ſemper fuit ex A. D. VIII. Kal. Octobres, ſeu à 24 Septembris.

Triplex autem apud Scriptores obſervatur Indictio. Prima Romanorum Imperatorum & qui eis hactenus ſucceſſerunt Germanorum, ex A. D. VIII. Kal. Octobres, quæ Indictio eſt Conſtantiniana: Secunda Imperatorum Conſtantinopolitanorum ex Kalendis Septembribus unde & anni initium: Tertia Pontificia Romana, à Kal. Januarii. Itaque cum judicio legendi ſunt Scriptores qui Indictionum meminerunt & conſiderandum quarum illi Indictionum mentionem faciant.

Quare ſi Indictiones numerentur à 24 Septembris, ſemper quatuor addenda erunt annis Chriſti ad methodum Indictionis Conſtantinianæ: ſi à Kal. Januarii, tria tantùm addenda: e. gr. anno Chriſti 1640, ſi addideris quatuor, fient 1644 quæ à diviſione per 15 relinquent novem: annus ergo ille eſt nonus Indictionis Conſtantinianæ, initium ſumens à Septembri. Sed ſi tantùm addi-

deris tria relinquentur 8, annus ergo ille est octavus Indictionis Pontificiæ initium sumens à Januario præcedente, nonus enim inchoabitur demum Januario sequentis anni 1641. Sic anno 1636 si quæras Indictionem Pontificiam, tribus additis fient 1639, quæ divisa per 15 relinquent quatuor: annus ergo ille fuit quartus Indictionis Pontificiæ, annus vero quartus Indictionis: Constantinianæ seu Cæsareæ Romanæ cœpit Semtembre superiori. Rursus si ab annis Christi abjeceris 311, reliqui sunt anni à primâ Indictione Constantiniana; si 312 à primâ Indictione Pontificia, ut e. gr. si ab annis 1640 detraxeris 311 supererunt 1329 anni à prima Indictione Constantiniana, hoc est octogesimæ Nonæ Indictionis Constantinianæ annus nonus: si detraxeris 312 supererunt 1328 anni à primâ Indictione Pontificia, hoc est octogesimæ Nonæ Indictionis annus octavus atque ita de reliquis.

---

## CAPUT IX

### *De Cyclorum Syndrome, & Periodo Juliana.*

CÆterùm tres Cycli nempe Solis, Lunæ & Indictionum, indubitati sunt temporum characteres, qui continuatâ temporum serie à Christianis notati sunt, qui festum Paschatis ex methodo Cycli solaris & Cycli Lunaris quotannis celebrant, ita ut nulla unquam nata fuerit de Cyclis controversia, aut error, E. gr. hoc anno Christi 1641

1641 Cycli solaris annum agimus 26, Cycli Lunaris octavum, Cycli Indictionum nonum, quæ Cyclorum syndrome nonnisi certo annorum spatio recurrere potest, longiore si trium, breviore si duorum tantùm Cyclorum syndrome requiratur. Nam Cycli Solaris annus 26 cum Cycli Lunaris octavo nonnisi semel concurrit, spatio annorùm 532, qui est numerus factus ex 28 ductis in 19. Quod primum docuisse Victorinum Aquitanum accepimus & ab illo Dionysium Exiguum Abbatem Justiniano coævum, à quo quanquam interpolatore solùm & recensitore periodus Dionysiana appellata fuit, non ab auctore Victoriana. Ita orbis Cycli Solaris & Indictionum est annorum 420. Orbis Cycli Lunaris & Indictionum qui absolvitur annis 285, hoc est idem Solaris & indictionum par (quale est hoc anno 26 & 9) post annos 420 absolutos duntaxat reversurum est; & Cycli Lunaris & Indictionum similis copulatio, qualis est hoc anno (nempe 8 & 9) redibit post annos demum 285, non citiùs, nec etiam tardiùs.

Habemus igitur tres binorum Cyclorum periodos, Solis & Lunæ annorum 532, Solis & Indictionum annorum 420, Lunæ denique & Indictionum annorum 285. Unde datis binis Cyclis, facili negotio invenietur annus qui talem Cyclorum copulam recipit. Ut si quis se natum dicat cyclo Solis quarto, Lunari 15, facilè deprehendetur annus Christi quo natus fuit. Hoc anno quum Cyclus Solaris sit 26, quatuor de 26 detra-

ctis superſunt 22, quæ ſi de 1641 detraxeris ſupererit annus 1619 in quo Cycli ſolaris annus quartus agetur: ſed anno 1619 Cyclus Lunæ agitur quintus, qui ex hypotheſi 15 eſſe debuit. Ergo annus 1619 non eſt quo ſe natum ille profeſſus eſt: quære ergo annum proximè ſuperiorem qui Cycli ſolaris quartus fuerit, hunc hoc pacto inveſtigabis. De 1619 tolle 28, ſupererunt anni 1591; dicemus igitur anno Christi 1591 agi rurſus quartum Cycli ſolaris. Huic adde unitatem fient 1592 quæ à diviſione per 19 relinquunt 15, qui Cycli Lunaris annus eſt quæſitus, dices ergo natum anno 1591, quum nonniſi annis 532 ante dictum annum contingere potuerit ejuſmodi utriuſque Cycli combinatio.

Ex ductu autem Cycli Indictionum in hunc Cyclum Dionyſianum hoc eſt ex 15 in 532, oritur magna periodus Juliana annorum 7980, ita appellata quòd ad annum Julianum ſit accommodata & quidem à Kal. Januariis initium ducat. Primus Periodi annus habuit Cyclum Solis primum, Lunæ primum & Indictionem primam: cujus anni principium præceſſit Epocham mundi annis 763. Epocham verò Chriſti annis 4713 abſolutis, Ita ut primus annus mundi ſit periodi Julianæ 764, primus annus Epochæ Chriſtianæ 4714, quod certò demonſtrant Cycli iſtorum annorum, nempe anno primo mundi Cyclus Solis 8, Lunæ 4, Indictio 14, anno primo æræ Chriſtianæ Cyclus Solis decimus, Lunæ ſecundus & Indictio quarta,

qui

qui Cyclorum Concursus non aliis periodi annis contingere potuit, quàm quo contigerunt, ille nempe 264, iste verò 4714 Quare si annis Christi per regulam perpetuam addantur anni 4713 summa annum periodi Julianæ docebit, & vice versâ subductis annis 4713 è numero annorum periodi Julianæ relinquitur annus Christi fluens. E. g. Annis Christi 1641 adde 4713 habebis annum periodi 6354. Rursus ex annis periodi 6354 subducito annos 4713, habebis annos Christi 1641. Quivis autem Periodi Julianæ annus in 28 divisus residuum facit Cyclum Solis, in 19 Cyclum Lunæ, in 15 Indictionem illius anni: quoties verò à divisione nihil relinquitur, tum sumendus est Cyclus integer nempe Solaris 28, Lunaris 19, & Indictio 15. Ex. gr. distributis 6354 in 28, remanet Cyclus Solis 26, factâ distributione in 19 relinquitur Cyclus Lunæ 8 & à divisione 15 restat Indictio 9, qui Cycli congruunt anno Christi 1641.

Hac itaque divisione, datis annis periodi Julianæ, facili negotio anni Cyclorum investigantur. Ut tamen tyronibus & in arte supputandi rudibus labor minuatur, sequentem tabulam se condidisse ait Petavius, in qua duplex est ordo, alter annorum collectorum per centenos & millenarios, alter per denarios usque ad centum. Methodi ratio hæc est: Proposito quovis anno periodi Julianæ sume proximum millenarium & centenarium, cum Cyclis ad eos adscriptis; tum excurrentes annos ex

denariis, ſummam ex omnibus Cyclorum collige, deductiſque Cyclis integris quod ſupereſt dabit Cyclos currentes.

## Tabula Cyclorum in Periodo Juliana

| Cent. Coll. | Cycl. Sol. | Lunæ. | Indict. | Den. | S. | L. | I. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 100 | 16 | 5 | 10 | 10 | 10 | 10 | 10 |
| 200 | 4 | 10 | 5 | 20 | 20 | 1 | 5 |
| 300 | 20 | 15 | 15 | 30 | 2 | 11 | 15 |
| 400 | 8 | 1 | 10 | 40 | 12 | 2 | 10 |
| 500 | 24 | 6 | 5 | 50 | 22 | 12 | 5 |
| 600 | 12 | 11 | 15 | 60 | 4 | 3 | 15 |
| 700 | 28 | 16 | 10 | 70 | 14 | 13 | 10 |
| 800 | 16 | 2 | 5 | 80 | 24 | 4 | 5 |
| 900 | 4 | 7 | 15 | 90 | 6 | 14 | 15 |
| 1000 | 20 | 12 | 10 | | | | |
| 2000 | 12 | 5 | 5 | | | | |
| 3000 | 4 | 17 | 15 | | | | |
| 4000 | 24 | 10 | 10 | | | | |
| 5000 | 16 | 3 | 5 | | | | |
| 6000 | 8 | 15 | 15 | | | | |
| 7000 | 28 | 8 | 10 | | | | |
| 8000 | 20 | 1 | 5 | | | | |

Tabel-

## Tabella Cyclorum in annis Christi.

| A. Ch. | Cy S. | L. | J. |
|---|---|---|---|
| 0 | 9 | 1 | 3 |
| 100 | 25 | 6 | 13 |
| 200 | 13 | 11 | 8 |
| 300 | 1 | 16 | 3 |
| 400 | 17 | 2 | 12 |
| 500 | 5 | 7 | 8 |
| 600 | 21 | 13 | 3 |
| 700 | 9 | 17 | 13 |
| 800 | 25 | 3 | 8 |
| 900 | 13 | 8 | 3 |
| 1000 | 1 | 13 | 13 |
| 1100 | 17 | 18 | 8 |
| 1200 | 5 | 4 | 3 |
| 1300 | 21 | 9 | 13 |
| 1400 | 9 | 14 | 8 |
| 1500 | 25 | 19 | 3 |
| 1600 | 13 | 5 | 13 |
| 1700 | 1 | 10 | 8 |
| 1800 | 17 | 15 | 3 |
| 1900 | 5 | 1 | 13 |
| 2000 | 21 | 6 | 8 |
| 2100 | 9 | 11 | 3 |
| 2200 | 25 | 16 | 13 |
| 2300 | 3 | 2 | 8 |
| 2400 | 1 | 7 | 3 |
| 2500 | 16 | 12 | 13 |
| 2600 | 4 | 17 | 8 |
| 2700 | 2 | 3 | 3 |
| 2800 | 8 | 8 | 13 |
| 2900 | 24 | 13 | 8 |

| A. Chr. | C. S. | L. | I. |
|---|---|---|---|
| 3000 | 12 | 18 | 3 |

Exemplis res illustretur. Proponitur annus periodi Julianæ 6354, cujus Cycli inquirendi sunt In millenariis ad 6000, Cyclos reperio Solis 8, Lunæ 15, Indict. 15. In centenarus ad 300 Cycli adscribuntur 20, 15, 15. In denariis ad 50, 22 12, 5, quibus omnibus sigillatim collectis, hoc est Cyclis Solis seorsim collectis, Cyclis Lunæ seorsim & Indictionibus seorsim, quatuor adjungenda sunt, & ex summa si Cyclum excesserit, toties ille detrahendus est quoties detrahi poterit: e. gr. anno proposito periodi Julianæ 6354 Cyclis Solis 8, 20, 22 in unum collectis adde quatuor, fient 54 à quo numero, quia Cyclum excedit, Cyclum integrum tolle, nempe 28, remanebunt 26 pro Cyclo Solari quæsito. Cyclis Lunæ 15, 15, 12 in unum collectis adde 4 fient 46, tolle bis 19 h. e. 38 remanebunt 8 pro Cyclo quæsito, Indictionibus

15, 15, 5 additis 4 & geminatis illis quindecim sublatis, restant 9 pro Indictione quæsita. Eadem planè ratio est tabellæ Cyclorum in annis Christi atque in periodo Juliana. Experire & verum comperies: sed methodo usitatâ per divisionem, vel in annis Christi additis addendis, vel in periodo Juliana uti præstat.

Jam si certò nobis constaret de numero annorum qui ab orbe condito effluxerunt, cæteræ omnes temporum Epochæ ad illam essent referendæ, verùm quum tam diversæ sint hac de re sententiæ, locum naturalis Epochæ quam hodie certò definire non possumus supplet artificialis hæc Epocha periodi Julianæ. Ad hanc enim relatis omnibus non solùm de mundi ætate sententiis, sed diversarum quoque gentium ac populorum Epochis, jucunda exhibebitur temporum collatio, varia annorum initia facilè ab invicem discernentur, ambagibus variis expediemur ac liberabimur, memoria infinitum quantum sublevabitur. Si enim quinque aut sex intervalla nobiliora ac Epochas memoriæ infigamus, ut puta annum nascentis mundi fuisse periodi 764, Diluvii 2420, Exodi Ebræorum 3217 conditus templi Salomonici 3696, primæ Olympiadis Iphiti, 3938, primum Palilium Varronianorum 3962, initii captivitatis Babylonicæ 4114, Regifugii & primorum Consulum 4207, captæ Babylonis & initii Imperii Macedonum Asiatici 4383, primarum Kalendarum anni Juliani

liani 4669, Æræ Christi Dionysianæ 4714, primæ indictionis Constantinianææ 5026, reliquas historiarum Epochas ad illam tanquam ad lapidem Lydium facilè exigemus, adhibito examine Indictionum, utriusque Cycli & aliorum characterum, si aliquod dubium intervenerit & singulas levi additionis vel subtractionis labore suis temporibus assignabimus, in quacumque demum Chronologia, quæ quidem sibi consentanea sit.

Denique hujus periodi beneficio motus astronomicos per cuncta sæcula, tam præterita quam futura, certa manu deducimus. Astronomicis inpræsentiarum omissis, historicis aliquot exemplis illustrare libet quæ adduximus. Sigebertus initio Chronologiæ suæ notavit se illam exordiri ab anno Adami 4331 secundùm Dionysium, annum verò Domini 381 secundùm eundem. Hic quæritur in quem annum periodi Julianæ Dionysius, & secundùm illum Sigebertus, conjiciat natalem mundi? Annis æræ Christianæ 381 adde 4713 annos absolutos periodi Julianæ elapsos ante principium æræ, exurget annus 5094 periodi Julianæ quo Sigebertus chronologiam suam inchoavit, sed quum dicat se inchoasse illam anno ab Adamo 4331, tolle à 5094 annis periodi Julianæ annos mundi elapsos 4330 supererit annus 764 periodi Julianæ, in quem mundi natalis juxta illos conjicitur. Eandem quoque mundi Epocham ponit & tuetur Scaliger.

Addamus aliud exemplum. Julii Cæsaris mors con-

contigit anno ab urbe condita 709, juxta Uarronem. Ad annos itaque 709 adjice annos periodi elapsos ante Palilia 3961, fient anni periodi Julianæ 4670. Hoc anno Cæsar interfectus est. Volo scire quoto id anno contigerit ante Christum. De 4713 annis elapsis ante æram Christianam tolle 4669 elapsos ante cædem Julii, supererunt 44. Igitur anno 44, ante æram Christianam Dionysianam, occisus est Julius Cæsar.

Cæterùm religio est præterire summi & acuminis & utilitatis tabulam quam confecit *Nicolaus Mulerius* ad eruendos annos tum Dionysianæ tum Julianæ periodi, ex datis Cyclis. Nam ut ex data Syzygia Cyclorum Solis & Lunæ cognoscitur annus periodi Dionysianæ, sic ex datis tribus Cyclis annus periodi Julianæ innotescit. Methodus hæc est, cum Cyclo Solis tabulam ingressus annos excerpe è columna Solis & è columna Lunæ numerum annorum Cyclo Lunæ respondentem, horum numerorum summa est annus periodi Dionysianæ quæsitus. E. g. si quæsiveris cui periodi Julianæ anno Cyclus Solis 17, Cyclus Lunæ 18 respondeant, Cyclo Solis 17 respondent 437, Cyclo Lunæ 18 respondent 56, quorum summa effecit 493, numerum scilicet annorum periodi Dionysianæ. In tabellula annorum Christi numerus annorum proximè elapsus est 1139, dictæ summæ adjiciendus, ut habeatur annus Christi 1632. Si numerus conflatus excedit periodum, detrahe periodum, quoties fieri poterit,

Resi-

Residuo adde ut supra annos quibus terminatur periodus. Alio exemplo res illustretur: Justinianus imperium inivit Cyclo Solis 4 Lunæ 15, quæritur quo anno æræ Christianæ imperium susceperit? Cyclo Solis 4 respondent in tabula 228, Cyclo Lunæ 15 respondent 224. Ad summam 452 adde 75 (quia constat Justinianum cœpisse regnare ante annum 600) fient 527, Suscepit ergo Justinianus habenas imperii anno æræ Christianæ 527. Jungamus & duobus illis Cyclis Cyclum Indictionum, Olympias prima celebrata fuit Cyclo Solis 18, Lunæ 5, Indictione 8; quæritur, proinde quo anno periodi Julianæ, seu mundi, secundùm Epocham Dionysianam? E regione 18 habes in annis Solis 494, è regione 5 in annis Lunaribus 252. Adde annos Solares cum Lunaribus, fient 746. Hunc numerum, seorsim tamen servandum, divide 1° per 15, residuum erit undecim qui detrahi debent de Indictione data, additis quindecim Indictioni si minor sit quàm ut residuum ab ea auferri queat, ut hoc loco ad 8 adde 15 fient 23, tolle 11 supererunt 12. Deinde in subjecta tabella si quæsiveris, duodecim illis respondebit in Indictionibus numerus 3192, qui numerus auctus, summâ seorsim servatâ 746, ostendit annum periodi Julianæ 3938, in quem cadit prima Olympias. Si verò numerus in tabella Indictionum quæsitus, compositus cum numero ex duobus Cyclis facto, excesserit 7980, hunc ipsum numerum inde subducito. Exodus ex Ægypto contigit Cyclo Solis 25, Lunæ

Lunæ 6, Indictione 7. Anni Solares & Lunares aggregati dant 557, quæ à divisione per 15 relinquunt 2, quæ de 7 subtracta dant quinque, quibus in tabula respondent 2660, adde 557 habebis 3217 annum periodi Julianæ quo contigit Exodus. Quæritur rursus quoto anno periodi fuerit Cyclus Solis 9, Lunæ 5, Indictio 15? Adde 513, & 252 habebis 765, divide in 15, nihil superest; assume igitur Cyclum Indictionum integrum 15, quo subducto ex Indictione data nihil remanet. Est ergò annus periodi Julianæ 765. Si quæsiveris de annis mundi, e. gr. in quem annum mundi inciderit Exodus, ab anno currente periodi Julianæ 3217, tolle annos 763 elapsos ante natalem mundi, habebis annum ab orbe condito 2454, qui fuit annus Exodi; sic si quæsiveris de prima Olympiade, à 3938 tolle 763 habebis annum 3175 ab orbe condito, in quem incidit prima Olympias

Tabula

Tabula trium Cyclorum, cujus beneficio è datis Cyclis cognoſcitur annus.

| Cycli. | Anni Solis. | An. Lunæ. | An. Indiction. |
| --- | --- | --- | --- |
| 1 | 57 | 476 | 6916 |
| 2 | 114 | 420 | 5852 |
| 3 | 171 | 364 | 4788 |
| 4 | 228 | 308 | 3724 |
| 5 | 285 | 252 | 2660 |
| 6 | 342 | 196 | 1596 |
| 7 | 399 | 140 | 532 |
| 8 | 456 | 84 | 7448 |
| 9 | 513 | 28 | 6384 |
| 10 | 38 | 504 | 5320 |
| 11 | 95 | 448 | 4256 |
| 12 | 152 | 392 | 3192 |
| 13 | 209 | 336 | 2128 |
| 14 | 266 | 280 | 1064 |
| 15 | 323 | 224 | 7980 |
| 16 | 380 | 168 | |
| 17 | 437 | 112 | |
| 18 | 494 | 56 | |
| 19 | 19 | 532 | |
| 20 | 76 | | |
| 21 | 133 | | |
| 22 | 190 | | |
| 23 | 247 | | |
| 24 | 304 | | |
| 25 | 361 | | |
| 26 | 418 | | |
| 27 | 475 | | |
| 28 | 532 | | |

T

Tabella annorum Christi quibus terminatur periodus Dionysiana quæ est annorum 532.

75
607
1139
1671
2203
2735
3267

Extra tabulam via annos eruendi paulò operosior est, nec fermè nisi palpando ad illam pervenitur. E. gr. quærendus est annus cui competit Cyclus Solis 3, Lunæ 17; quæratur primò annus novissimus in quem incidit Cyclus Solis 31, hoc pacto: Cyclum anni currentis quære, is est hoc anno 1641 vicesimus sextus: tolle 3 de 26 supererunt 23, quos tolle de 1641 supererunt 1618, quo anno Cyclus Solis fuit 3. Quæratur 2. an huic anno competat Cyclus 17. mille sexcentis & octodecim pro more unitate auctis & in 19 divisis, habebis quatuor pro Cyclo Lunari. Sed quærebatur ex hypothesi decimus septimus, tolle igitur de 1618 viginti octo (iterum atque iterum tollenda donec quæstioni satisfactum sit) supererit annus 2590, cujus Cyclus Solaris erit 3, sed Lunaris, solitâ divisione factâ, erit 14 contra hypohesim: Itera igitur operationem ac tolle 28 de 1590, supererit annus 1562, cujus Cyclus Lunaris erit quinque.

Tolle

igitur tertio 28 de 1562 supererit annus 1534, cujus Cyclus Lunaris est 15. Perge igitur & tolle 28 de 1534, supererit annus 1506, cujus cyclus Lunaris est 6. Tolle ergo iterum 28 de 1506, sepererit annus 1478, cujus Cyclus Lunaris est 16. Tolle iterum 28 de 1478, supererit annus 1450, cujus Cyclus Lunaris est 7. Tolle iterum 28 de 1450, supererit annus 1422, qui secundùm artem divisus dabit tandem 17, pro Cyclo Lunari, qui est numerus quæsitus. Ergo annus 1422 ille est qui in novissima hac periodo Dionysiana Cyclum habuit Solarem 3, Lunarem 17. Sed si quæsivero annum qui cyclum habebat Solarem 3, Lunarem 17 Indictionem 1, dividendi erunt 1422 ex arte. Sed divisus dabit contra hypothesim Indictionem 15, subtrahendi ergo sunt 532 de 1422, supererit 890, qui ex arte divisus dabit rursus contra hypothesim Indictionem 8. Quare deduc iterum 532 de 890 supererit annus 358, qui ex arte divisus dabit ex hypothesi Cyclum Solis 3, Lunæ 17 Indictionem 1, quod non ampliùs recurrere potest nisi post 7980 annos elapsos.

Deficiente tabulâ hac viâ uteris, at si tabulam habueris, tam operosæ inquisitionis labore levaberis. Sed & veram esse hanc supputationem, in exemplo quoque allato, per tabulam ostendamus. Cyclo Solis 3 respondent anni 171, & Lunæ 17 respondent 112. Aggrega, fient 283. Adde ex tabellula 1139, fient 1422, pro

annis Cyclorum Solis & Lunæ. Quæratur jam indictio. Divide 283 per 15, supererunt 13. Tolle 13 de indictione data 1, hoc est, de 16, supererunt 3, quare in tabula è regione trium habebis in columna quarta 4788 quibus additis 283, habebis annum Periodi Julianæ 5071 quo trium illorum Cyclorum factus est concursus, sed ab anno Periodi Julianæ 5071 tolle annos Christi elapsos ante æram Dionysianam 4713, supererit annus Christi 358, cui concursum illorum signorum supra assignavimus.

## CAPUT X

### *De Olympiadibus.*

HIc finem faceremus, nisi Olympiades, quarum jam aliquoties facta à nobis mentio & quibus qui historiæ Græcæ & Latinæ animum applicant carere neutiquam possunt, operam nostram hîc quoque exposcerent. Ludos Olympicos in honorem Jovis instituit primus Hercules, sed postea intermissos instauravit Iphitus, anno Periodi Julianæ 3938, à quo tempore deinceps religiosè & absque interruptione ulla celebrati sunt. Celebrabantur autem in Elide Peloponnesi regione, singulis quadrienniis exactis, primo mense anni sub Plenilunium, hoc est paulò post Solstitium æstivum. Quadriennia illa spatia Olympiades appellatæ sunt. Prima cæpit anno 3938 periodi Julianæ & desiit anno 3942 eadem tem-

tempeſtate & articulo quo ſecunda Olympias iniit, uſque ad mediam æſtatem anni 3946 quo tertia inchoata eſt, atque ita deinceps. In periodo ergo Juliana anni poſt centenarios Olympiadici hi ſunt:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 2 | 6 | 10 | 14 | 18 |
| 22 | 26 | 30 | 34 | 38 |
| 42 | 46 | 50 | 54 | 58 |
| 62 | 66 | 70 | 74 | 78 |
| 82 | 86 | 90 | 94 | 98 |

Qui facillimè memoriæ inſigentur, ſi meminerimus ad radices 2, 6, 10, 14 & 18 eſſe ſemper in progreſſu, addenda viginti, hinc facilè eſt ſcire quinam anni periodi Julianæ ſint Olympiadici e. g. ſi proponatur annus 6354 (qui reſpondet anno Chriſti 1641) inventâ radice 14 ſtatim liquet eſſe Olympiadicum, ſi enim ad 14 addideris 20 fiunt 34, ſi ad 34 addideris 20 fiunt 54. Si annus periodi Julianæ 6355 tibi propoſitus fuerit, quum nulla radix illi reſpondeat, dic non eſſe Olympiadicum. Idem dicito de annis 6351, 6353, 6357 & aliis id genus: ſed ſi propoſitus fuerit annus 6344, videtur radix eſſe 14; at ſi ex regula progrediaris, ſtatim liquebit non eſſe Olympiadicum, ſed ſi exploraveris radices præcedentes, facilè deprehendes ad quam radicem quadragenarii pertineant.

Sed & ſupputationis perito facilior via patet per diviſionem. Quicunque enim anni in periodo Juliana à diviſione quaternaria relinquunt duo illi

funt Olympiadici, si tria relinquuntur denotabitur annus secundus Olympiadis, si nihil annus tertius, si unitas annus quartus.

Jam si scire lubet quota sit Olympias in anno proposito Olympiadico, e. gr. in anno 6354, ex 6354 subducito 3938, restabunt anni 2416 vertentes, qui à principio Olympiadum ad æstatem anni 6354 effluxere. Hic numerus 2416, in quatuor divisus dat 604, numerum Olympiadum elapsarum, ita ut Olympias 605 inivevit hoc anno periodi Julianæ 6354, qui est æræ Christianæ 1641. Dicitur Muhammedis Hegira, seu fuga à qua Arabes æram suam incipiunt, incidisse in annum Olympiadis trecentesimæ quadragesimæ primum exeuntem, hoc est anno illo Romano, quo finiebatur annus primus Olympiadis trecentesimæ quinquagesimæ & inibat annus secundus. Olympiades 349 sunt anni 1396, adde primum Olympiadis 350, fiunt 1397, quibus ad 3938 adjectis, summa 5335 est annus periodi Julianæ quo celebrata est Olympias trecentesima quinquagesima, hoc est, annus æræ Christianæ 622, in quem incidit Hegira Muhammedis. Hæc de Olympiadibus dicenda habemus, potuissemus & alias Epochas, ut Nabonassari & aliorum hîc annectere, sed & in majoren molem excrevisset & instituti nostri rationes prætergressus fuisset tractatus hicce noster.

DA-

# DAVIDIS CLERICI

# POEMATUM

## RELIQUIÆ

# POEMATIA VARIA

## *HISTORIA SANCHERIBI Versibus expressa, Anno* CIↃIↃCXXII.

AT e principium, Deus, in te nostra quiescant
Carmina, tu mare, tu terras, cælúmq; profundum
Æternis regis imperiis, quocumque movemur
Et quodcunque oculis lustramus, plena paternæ
Virtutis, curæque tuæ sunt omnia plena.
Te sine gens humana nihil, nihil impia possunt
Consilia & quicquid fraudis meditatur Averni
Sceptra tenens, tua nam servat tutela fideles.
Montibus imponant montes licèt, & licèt imis
Orbem constituant evertere fundamentis.
Quid Pharii potuit mens impia Regis, & illa
Effera vis animi? Deus hunc infanda furentem
Excutit, & medio rapidus vorat æquore vortex.
Ille suis contra solitum testatus amorem
Terram inter fluctus aperit, discedit aquarum
Moles, quà populus gressus inferret, at illum
Curvata in montis faciem circumstetit unda,
Nec mare per medium tinxerunt æquore plantas.
Ille licet pavidum pellat de corde timorem
Quem tu præsidio tutaris, maxime Regum,
Non eget aut jaculo, aut arcu, gravidáve pharetra,
Nil juvat hunc pondus clypei septemplicis, ictus
Excipere hostili ut possit veniente sagittâ,
Per tostas Lybiæ Syrtes, per inhospita saxa
Hunc ursus fugiet, fugiet violentus inermem
Hunc leo, nec fera quæ vitalia claustra resolvit
Oeneidæ, exerto veniet tibi dente timenda.
Nam tibi præsidium Dominus, tibi certa salutis

# POEMATIA VARIA

## *HISTORIA SANCHERIBI Versibus expressa, Anno* cIↃIↃCXXII.

A Te principium, Deus, in te nostra quiescant
Carmina, tu mare, tu terras, cælúmq; profundum
Æternis regis imperiis, quocumque movemur
Et quodcunque oculis lustramus, plena paternæ
Virtutis, curæque tuæ sunt omnia plena.
Te sine gens humana nihil, nihil impia possunt
Consilia & quicquid fraudis meditatur Averni
Sceptra tenens, tua nam servat tutela fideles.
Montibus imponant montes licèt, & licèt imis
Orbem constituant evertere fundamentis.
Quid Pharii potuit mens impia Regis, & illa
Effera vis animi? Deus hunc infanda furentem
Excutit, & medio rapidus vorat æquore vortex.
Ille suis contra solitum testatus amorem
Terram inter fluctus aperit, discedit aquarum
Moles, quà populus gressus inferret, at illum
Curvata in montis faciem circumstetit unda,
Nec mare per medium tinxerunt æquore plantas.
Ille licet pavidum pellat de corde timorem
Quem tu præsidio tutaris, maxime Regum,
Non eget aut jaculo, aut arcu, gravidáve pharetra,
Nil juvat hunc pondus clypei septemplicis, ictus
Excipere hostili ut possit veniente sagittâ,
Per tostas Lybiæ Syrtes, per inhospita saxa
Hunc ursus fugiet, fugiet violentus inermem
Hunc leo, nec fera quæ vitalia claustra resolvit
Oeneidæ, exerto veniet tibi dente timenda.
Nam tibi præsidium Dominus, tibi certa salutis

Anchora, te rapiet mediis è faucibus Orci.
Exemplum nobis, serisque nepotibus olim
Nostra sibi Ezechiæ præscribet pagina nomen.
Imperio gentem duro, longóque premebat
Sancherib Assyrius, mediam quam dividit alveo
Dulcis Jordanes, nitidis argenteus undis,
Quum Dominus Judæ sortem miseratus iniquam
Non tulit injusto ulteriùs sub fasce gementem.
Rex Achas moritur, tumulisque infertur avitis,
Sceptra Palæstinæ & rerum moderamina cepit
Filius Ezechias, qui jussa superba tyranni
Indignum tolerare ratus, se libera turpi
Subdere colla jugo negat: & regnabit amœnis
Solus, ait Solymis, antiquâ à stirpe Davidis
Ortus, & Ebræo prognatus sanguine Regum.
Extemplo Syriæ magnas it fama per urbes,
Et sermone replet Nini regalia tecta
Mendaci, infesto Isacidas jam milite campos
Obsedisse, moras dubitet quid rumpere magnus
Sennacherib? jam tempus equos, jam poscere currus,
Jámque diem ferro sceleratam exscindere gentem
Advenisse, neque hæc fieri sine numine divûm.
Talibus Assyrius dictis exardet in iras,
Arma amens fremit & duris dolor ossibus ardet,
Sumere quî pœnas inimico à sanguine possit,
Possit & invisam Syriis evertere gentem.
Ardua turris erat, cinxisse ubi dicitur altam
Coctilibus muris urbem Nimrodia virtus,
Ardua turris erat caput inter nubila condens,
Prospectum & latè campis jactabat apertis.
Extulit hinc Beli soboles horrentia belli
Signa, movens rigidum vesana in prælia Martem.
Ardet, inexcita Assyria, atque immobilis ante,
Classica jámque sonant & palmis tympana tundunt,
Nec tantum æstivis effusus nubibus imber
Cum rauco tonitru, sævit dum Sirius ardor

Et

Et cęlum lævo contristat lumine, quantùm
Ferre juvat signa & sonitus audire tubarum.
Jámque omnis campis exercitus ibat apertis
Jámque propinquabat Solymis cum Rabsace Tartan,
Ausus & impuram in cælum convertere linguam
Rabsacis, Assyrio divinum & poscere honorem.
Multi præterea quos fama obscura recondit,
Te duce Sennacherib Syrias rexere phalanges.
Diffugiunt omnes, Solymorum & moenibus altis
Conduntur, sævúmque exspectant turribus hostem.
Ceu quum nigrantes commistâ grandine nimbi
Præcipitant, crebris ubi vel micat ignibus æther,
Tecta metu diversa petunt, hominésque feræque:
Haud aliter veniente Syro, ruit omnis in urbem
Isacidum numerus, tantùm trahit ille timoris!
Jámque Palestinæ vastaverat oppida passim,
Ingentique ferox Lacisam obsidione premebat
Quum Rex concilium cogit, primisque suorum
Accitis, solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Urbe fuit summâ, Davidis regia magni
Vicino Domini multum venerabile templo
Et priscorum antiquâ religione parentum,
Hinc sceptra accipere & primos attollere fasces
Regibus omen erat, fuit & commune sepulchrum
Regibus. Hic veterum effigies ex ordine avorum
Docti opus artificis, Semúsque, patérque Noachus
Vitisator, mediis jactata & fluctibus arca,
Abramúsque senex, claudi Israëlis imago,
Vestibulo astabant, aliique ab origine Reges
Magnanimo patriam tutati sanguine terram.
Hic gentes Canaan domitas, pulsúmque Amalecum,
Illic rapta manu diverso ex hoste trophæa
Spiculaque, clupeósque, ereptáque signa videres,
Atque triumphatas utroque ab littore gentes,
Ipse aderat Salomon solio visendus eburno

Pacificam niveo cinctus diademate frontem.
Ipse aderat Salomon fluctus tentare superbos
Ausus, ab Auroræ populis & littore rubro
Victor divitias Orientis, & ultima secum
Regna Ophiræa vehens, juxtaq; Ægyptia conjux,
Regis delitiæ, gemmis radiabat & auro.
Huc postquam, bellique duces sanctúsque Senatus,
Quos pius Ezechias, si quando adversa vocarent
Rectores juvenum, & rerum dedit esse magistros,
Convenere, sedet medius Rex optimus, atque
Præfatus Dominum, solio sic infit ab alto:
Nunc age, spectetur possit quid vivida virtus,
Nunc animum firmate viri, fortissima corda,
Neu trepidate metu, vobis non ulla laborum
Abrahidæ nova jam facies, inopináve surgit.
Ille licèt totam secum rapiátque, trahátque
Assyriam, licèt hunc gentes, populique sequantur
Qui Tigrim, Euphratemq; bibunt, ditissima sylvis
Media quos pascit, quos Ganges pulcher & Indus,
Quàm multæ rubro volvuntur littore arenæ
Sidera quàm cælo spectantur multa sereno,
Major enim manus Isacidas comitatur, & illos
Ignis & Angelicæ servant hinc inde phalanges.
Solvite corde metum, mortali urgemur ab hoste,
Immortale quibus divûm pater atque hominum Rex
Mittit subsidium, nobis Deus exerit arma:
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiliet, fulvâ splendebunt fragmina arenâ.
Talibus accensi Isacidæ firmantur & omnes
Assensum tenui restantur murmure, quales
Sylvarum referre solent commota susurros,
Culmina quum primum Zephyri spirare tepentes
Incipiant, gelidisque exit de vallibus aura.
Ut primùm tacuere, Patrum qui maximus ævo
Surgit, & ad Regem versus sic farier infit:
Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem
Con-

Consulis, ô bone Rex, cuncti se scire fatentur
Quid tutela ferat Domini, quid cura paterna.
Non spernenda tamen nobis quæ robora numen
Suggerit, humanas vires industria firmat
Fulta Deo. Non bella manus, non castra requirunt?
Bella manus poscunt, precibus Deus ipse repugnat
Ignavis, viden' ut medios delatus in hostes
Nuniades simul & palmas ad sidera tendit
Ut Solem Dominus sistat, simul & rotat ensem
Fulmineum, ingentes latè dans stragis acervos,
More furens torrentis aquæ, vel turbinis atri.
Et vallo & fossis cingantur mœnia, fontes
Claudite, ne Syriis pateant sitientibus undæ,
Hostis adest, & ferrum alacres & tela parate,
Fortia justorum Pater ausa juvátque juvabitque
Aurea cui paret stellantis Regia cæli.
Illi hæc inter se vario sermone ferebant,
Quum provectus equo Solymorum Regis ad aures
Nuntius, ingentes ignota in veste reportat
Advenisse viros, ea vix perceperat, ecce
Rabsacis, impuro comitatus Rabsare, Tartan
Quos sequitur torvus, stagnum, campúmque tenebant,
Campum fullonis solito de nomine dictum.
Primus Rabsacides (genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat. (alter
Monstrum horrendum, informe, ingens, quo turpor
Non fuit Assyriûm, torvi sub fronte latebant
Hirta oculi, color huic, non quem referre ligustra
Alba solent, qualem vel nix quæ marcida nullo
Sole jacet, sed qualis inest color ater Iberis,
Maurorum soboli, labra crassissima monstro
Ima, bovémque sonans vox, Cyclops quantam habuisse
Dicitur Ætnæus, turpes, densique capilli,
Quique Deum & cælos & qui penetrabile fulmen
Sperneret) Ezechiam magna ter voce vocavit.
Ezechias agnovit eum, Sebnamqun, Joanque

Elia-

Eljacimo junxit comites, Syriumque furentem
Jussit adire, quibus tali blasphema resolvit
Impius ora sono, Ezechiæ mea dicta referte
Haud placitura, viri, sic regum maximus inquit,
Rex Syriæ totam sub leges mittere terram
Cui fortuna dedit, nostrásne evadere demens
Sperasti te posse manus? fiducia rerum
Quæ te tanta tenet, quæso, cur jussa recuses
Nostra pati, num verba tibi mendacia vatum
Ingentes tollunt animos, num vivida bello
Dextera, quæque tuo prudentia pectore versas
Consilia? ambages jacta & responsa Deorum,
Tunc quum bella manus poscunt, imple omnia verbis
Quæ tutò tibi magna volant, dum distinet agger
Assyrios Lacisæ, nec Ebræo sanguine fossas
Fervere cæde novâ cernis, nil talia prosunt
Nugamenta tibi, Syrio sunt & sua contra
Fata duci, sese quibus huc autoribus infert.
Respicis Ægyptum, stagnantisque agmina Nili.
Auxilium infelix prorsus, secúmque ruinam
Ingentem trahit, haud aliter quam si quis acutâ
Contractáque manum sustentet arundine, sævo
Vulnere dividitur, fulcro deceptus inani.
Néve Deum lauda, cassa hunc in vota vocabis
Impie, namque tuo jussu fecere profanos
Judæi, coluere pii quos semper honores:
Montibus excelsis altaria diruta, reddunt
Jure Jovem infensum vobis, quique impius illi
Præstatur cultus Solymorum in mœnibus altis.
Verte omnes te te in facies, & contrahe quicquid
Sive opibus, sive arte vales, duo millia Magni
Nomine Regis equûm tibi spondeo, collige contrà
Si possis bis mille viros, quos bella petentes
Quadrupedes tergo excipiant. Túne agmina vertas
Vel minimi ducis Assyrii, desertus in ipso
Limine? téne hostili posse occurrere turmæ

Credi-

Crediderim, ante tubam cujus tremor occupat artus?
Injussu Domini neque nos huc venimus, ille
Visus de coelo tales mihi fundere voces,
Vade, age, ferto faces, foedúsque reposcito flammis,
Atque urbem caussam belli, regna ipsa Jacobi,
Ni frænum accipere, & victi parere fatentur,
Erue, & æqua solo fumantia culmina pone.
Nunc ad vos cives Solymorum & vestra revertor
Commoda, Sancheribo dextras tendatis inermes,
Spem si quam accitis Ægypti habuistis in armis
Ponite, fallaci nec vos sermone moretur
Ezechias, patriam nec tentet lubricus artem,
Ille nec instantem vobis avertere Regem
Nec Syriis poterit demens se opponere turmis;
Accipite ergo animis quæ vobis maximus offert
Sancherib, Isacidæ, lætásque advertite mentes.
Oblato potiùs componite fœdere bellum
Et dapibus mensas onerate & pocula vestris
Ponite de lacubus dulci spumantia musto,
Quisque suas edito ficus & mitia poma,
Hinc donec jubeam veteres migrare colonos
In fortunatas sedes, terrámque beatam
Quam gravidæ fruges & Bacchi nobilis humor
Implevere, tenent oleæque armentáque læta.
Nec vos Ezechiæ faciles mendacia fallant
Verba, nec incautos flectant de tramite recto:
Ne trepidate viri, dextram Deus æthere summo
Exeret, incolumes rapiens de morte propinqua,
Ille nec indociles præbebit quæstibus aures,
Hostibus ereptos vos latum educet in æquor,
Credite, tela procul Syriorum inimica facessent.
Talibus ille fidem vestram sed mente furenti
Sollicitat, numquid nostris captiva Deorum
Agmina de manibus populos, gentésque superbas
Eripuere? Chamæ quonam Deus ille recessit,
Ille Deus magnæ spes & fiducia gentis?

Nonne

Nonne Sepharvæmi spes irrita concidit urbis?
Arphadicos sequerisque Deus captive triumphos?
Henæum, Ivæúmque nihil sua vota, precésque,
Nil patrii juvere Dii, lacrimæque cadentes.
Num potuit Deus, ille Deus, servare ruentis
Mœnia Sammariæ, Syriásque avertere turmas?
Ille nec eripiet muros & castra Sionis;
Hactenus Isacidæ spem si fovistis inanem
Ponite, tempus adhuc rebus succurrere fessis,
Una salus vobis nullam sperare salutem,
Juppiter in cælis, Syrius regit omnia terris.
Conticuere omnes, coit in præcordia sanguis
Frigidus, ecce subit pallor, solitúsque relinquit
Ora color, tristi solvuntur frigore membra: aureo
Ceu quum pellit hyems æstatem & Scorpius
Soli castra parat, læto succedit honori
Silvarum nova tunc facies, subitóque recedit
Gemmeus ille viror, florum quoque purpura languens
Excidit, & terras pallenti lampade Phœbus
Collustrat subeúntque nives, campisque recumbunt.
Rettulit interea Eljacimus convitia Regi
Dira suo, quibus auditis exardet, & imo
Corde trahit gemitum, vestes lacerátque revulsas,
Cæsariem immundo deformat pulvere, & illum
Ire jubet, justas & vati ferre querelas
Esaiæ; Pater ecce dies tristissima venit,
Cingimur & clausis inimico milite, nusquam
Apparet spes ulla fugæ, lux alma recessit,
Advenit nefanda dies quæ fortia verbis
Facta redargueret, tantæ maledictáque culpæ
Adderet, & superûm faceret convitia Regi.
Heu nihil humanis opibus, nihil arte magistrâ
Proficimus, nullæ stant fracto in corpore vires,
Ultimus ecce labor, & ineluctabile tempus
Advenit, Dominus præsentem evadere clemens
Ni dederit mortem nobis, tenuésque Jacobi

Res

Res letho eripiat, decimum ceu sidere signum
Quum premitur, nec jam ulteriùs tolerare labores
Præ gravitate potest matura puerpera, voto
Nec potitur tamen, incassum sed nititur, atque
Fessa malis, tendens ad cælum brachia, nexos
Ad partus Dominum clamat, si pondus in auras
Ille haud expellat, matrem fœtúmque ruina
Certa manet, nulla est tanto medicina dolori.
Nempe Deus summa cæli qui considet arce
Audiit hæc blasphema canis ludibria, nempe
Audiit omnipotens, cessas in vota precésque
Amoside Esaia? cessas? nec enim ante paternum
Porriget auxilium superùm pater atque hominum Rex.
Vix ea legati, vates sic ore vicissim
Orsa refert, Deus Ezechiæ responsa referre
Læta jubet, ne vos quicquam blasphema minacis
Verba Syri moveant, procul & timor omnis abesto
Assyriam repetet, patriámque inglorius urbem,
Natorúmque parens prima intra limina dextrâ
Oppetet, ut tali mortales cedere nobis
Supplicio discant, verbisque minoribus uti.
Dixerat Amosides, tulerántque solantia Regi
Verba pio, impressâ signat sua crimina gemmâ
Ecce Syrus Lobnæ in castris, mittitque scelestâ
Verba notata manu, convicia dira, minasque.
Hic fuit Achasides ingenti percitus irâ,
Et Domino acceptas, lecta sibi parte tabellas
Explicuit, funditque preces Rex pectore ab imo:
O pater Ebræûm semper miserate labores,
Qui curru veheris volucri, quem flammea gaudet
Alipedum gestare cohors, quem regna fatentur
Cuncta Deum, cujus fundavit dextera terram,
Jura dedit legésque polo, tu quæstibus aures
Inclina, placidóque tuos bonus aspice vultu.
Audisti Pater omnipotens scelerata furentis
Jurgia Sancheribi, rabidi latrantia justus

Ora

Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus & longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt, hoc acrior idem
Ecce aliud summâ telum librabat ab aure,
Dum trepidant, it hasta fero per tempus utrúmque
Rabsacidi, trajecto hærens tepefacta cerebro:
Inde aliud super, atque aliud figitque volátque
Ingenti gyro; gemitu, miseróque tumultu
Omnia miscentur, ferit aurea sidera clamor.
Flammeus exultat miles, latúmque per agmen
Ardens limitem agit ferro, crudelis ubíque
Luctus, ubíque pavor & plurima mortis imago.
Hìc frustra fugiens collabitur, ille cadenti
Immoritur socio, latet hìc, trepidátque, Deósque
Advocat incassum; non evitabile telum
Consequitur, sæva effusis mors fertur habenis.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut quot humi morientia corpora fudit
Cælestis vindex? solum divina reservat
Ira ducem poenæ majori. Lumine terras
Postquam aurora novo sparsit, jam luce retectis
Rebus & infuso jam sole perempta videres
Corpora, feminecésque viros, tepidúmque recenti
Cæde locum & plenos spumanti sanguine rivos.
Quo se cunque acies oculorum flecteret, illic
Vulgus erat stratum, veluti quum marcida ramis
Lapsa cadunt folia Autumni cum frigore primo.
Attonitus toto miserarum turbine rerum
Sancheribus Syriam repetit, temploque jacentem
Filius obtruncat; gladio pariterque precantis
Vocem, animámque rapit trajecto gutture, at ille
Fronte ferit terram, & crassum vomit ore cruorem;
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Sic vos triste manet, magni Regésque, Ducésque
Supplicium, sponsam quicunque lacessere Christi
Vejovis auspiciis Capitoli immobile Saxum

# LACRUMÆ HAIDELBERGENSES.

*Recitata Encæniis Academicis*

CIↃIↃCXXIV.

PArva quidem, fateor, laceræ solamina menti
De luctu veniunt, nec forte levamen in æstu
Ægrotus capiet, quamvis vicinia tota,
Quamvis tota domus cælestia voce cieret
Numina, fœmineisque ulularent planctibus ædes:
Spectandi virtute Patres, vos viva Senatûs
Lumina, queis virtus rerum commisit habenas
Túque etiam Heroum soboles, cui clara superbum
Nobilitas nomen fecit, cælisque locavit,
Vos quoque sanctorum collegia seria Patrum,
Seu quibus assiduo perfundit nectare pectus
Eusebie, seu qui Themidis sacraria mystæ
Intrastis, & magni quatiunt Demosthenis arma.
Sive quibus veras acris sapientia, rerum
Et penetrare dedit causas, atque ordine quicquid
Docta Cleantheæ sonuerunt atria turbæ:
Crescit enim memorando dolor, refricátque potenter
Curatum quondam præceps oratio vulnus,
Præstat & æternis longè damnare tenebris
Quàm pæne obductum verbis vulgare dolorem.
Si tamen Isacidæ Babylonia flumina fletu
Et lacrumis auxere suis, si Musa Maronis
Æterno flevit plectro dispendia Trojæ,
Fas mihi sit, veneranda Patrum, populíque Corona,
Haidelbergenses versu planxisse ruinas
Fratribus, heu! nostris lacrumas debemus, amatæ
Quidve soror potuit debere Geneva sorori,

Hoc si non potuit luctus solatia magni
Parva quidem, sed quæ miseris nunc sola supersunt.
Flebo igitur, sit enim quædam mihi flere voluptas,
Quum miseri proprias properent audire ruinas,
Et planctu vulgò soleant explere dolorem,
Et lacrumis implere sinum lessúsque ciere
Túnc mihi Haidelberga soror, soror unica, túnc
E tumulo revocanda mihi es, reddenda Genevæ!
Desunt quærenti satis indignantia linguæ
Verba, & difficile est crudelia vulnera, Patres,
Funera difficile est facili cecinisse Camæna
Quum sua singultus refugis nunc verba retractet
Spiritibus, gravidum nunc evomat ore dolorem.
Sed jam dirigui luctu, ceu Tantalis olim,
Et stimulos sensúmque mali pæne abstulit usus.
Jam didici gaudere malis, jam crescit ab illis
Gloria, cognosco scuticas & verbera Patris
Principium pœnæ propria ducentis ab æde.
Incluta Jettæis stetit urbs sub collibus olim,
Sed stetit, heu! stetit, heu! vix rudera cæca supersunt.
Haidelbergensem veteres dixere coloni,
Sed Myrtilletum, Phœbúsque chorúsque vocabat
Aonidum, locuples populis atque ubere glebæ,
Æmula vicinis longè quæ floruit aulis
Invidiæ scopulus, dum fata Deúsque sinebant,
Thaidos Ausoniæ terror, gentísque togatæ,
Quàm fratrum stipata cohors, quam janitor Orci
Tergemino stygiam cinctus diademate frontem
Horruit, hanc dulci ditabat Neccarus undâ
Agnatum latè spargens Helicona, perenni
Rore, nec æternos patiens marcescere flores.
Hâc non ulla fuit nostræ mage juncta Genevæ,
Par utriusque fuit studium, par gloria terris
Didita, conjunctæque manus concorditer ambæ;
Non sibi sic leo trux fidit, gaudétque comantes
Excutiens cervice toros, si forte corona

Venan-

Venantum premitur, non sic Jovis ales aduncis
Vnguibus, ignitum rostro si forte draconem
Implicuit, sicut confisa Geneva sorori est,
Et stetit adverso semet solata tumultu.
Utráque erat pariter felix, stetit utráque sancto
Cardine virtutis, falsatæ nescia legis,
Donec felices terras feralis Enyo
Armis obrueret, summi moderator Olympi
Nunc ubi quæ dederat Palatinis arcibus odit,
Muneribúsque suis iratus perdidit illas
Quas posuit moles, lacrumosa sororibus ecce,
Ecce Deus (Pater ille tamen) divortia fecit.
Quam stantem Eoo lustravit lumine Titan
Hanc lapsam madido deflevit lumine Vesper,
Et nunc ægra ciet suspiria, vixque sororem
Nominat extremâ quæsitam voce Genevam.
Tinnula non secus ac viridi Philomela subumbra
Quæ priùs argutis demulsit vocibus auras,
Si quando infenso Notus æthere grandinat, abdit
Nunc sub fronde caput, fragili nunc se tegit alâ,
Effugia instantis quærens sed frivola mortis,
Turbine nam rapido nimborum & grandinis ictu
Oppetit, ac ramis indignabunda recedit.
Talibus Haidelberga diu jactata procellis,
Mœnibus hostilem conata avertere pestem
Succubuit, tristi tandem sub pondere victa.
Est locus immani Romæ diductus hiatu,
Tristia Tænariæ ducens ad limina portæ,
Circumdat piceo quem nox tristissima nimbo.
Hic nullus Titan squallentes discutit umbras,
Nulla repercusso jucunda crepuscula Phœbo.
Huc te, Paule, refers triplici redimite Coronâ,
Vincit iter durum pietas, datur ora tueri
Dæmonis & notas audire ac reddere voces.
Tu mea progenies, inquit regnator Averni,
Tu mea progenies cui Christi invisa potestas

Cui semper Phlegeton carus, cui Tartara curæ,
Ecquid Calvini sentis te pondere victum,
Nec posse ulteriùs sedem, vel nostra tueri
Regna? Jugum pridem excussit Germania, Gallos
Impia vicini pecoris contagia lædunt,
Anglus mutatâ rerum statione rebellat,
Inficit Italiam Rhætus; sed cura medullas
Exurit gravior, Palatinis arcibus ecce,
Sanguineus ruit ecce leo, ditione Bohemos
Qui nostrâ pellat, junctis ruit Ungara tellus
Viribus, & cælum manes sperare jubetur.
Quare age, rumpe moras, Romanam concute plebem,
Hispanósque cie, teneat discordia Gallos.
Ille tremor Ponti, fidei tutela Britannûm
Gloria, tutelæ deserto nomine cedat.
Frange Tili portas & muris oppida solve,
Spinola thesauros rapiat, non tristis Erinnys
Non mea Tisiphone stygii Regina barathri
Sufficiant, sed tu pestis, fœdissima pestis,
Monstrum Cerbereum, tu quæ mentiris Iësum,
Huc ades, & totum scelerata à stirpe revelle
Exitiale genus, jam jam rata vota sequantur;
Dixerat, & cæco stygium caput abdidit antro.
Hìc dorsum propere pernicibus illigat alis
Fama volans, summique petens juga celsa Palati
Adventare refert acies, sonitúsque tubarum
Audiri, totámque exciri à sedibus imis
Eumenidum turbam, pavor undíque & undique terror
Attonitas pulsat mentes, huic arma probantur,
Ille fugæ fidit deploratósque penates
Deserit, huic votis Belgarum castra petuntur,
Gallica sed præfert alius, quæ tuta videntur
Huic loca, suspensus negat hic, dubiúsque remansit
Spémque metúmque inter patriis in sedibus, ille
Conjugio metuit, parvo timet ille nepoti.
Hos inter motus medio flagrante tumultu

Clau-

Clauditur Haidelberga, & portas objicit hosti.
Impastus leo ceu Numidum quum forte per agros
Incidit in casas, insanit ovilia circum
Et frendet, tentátque aditus, & quo via clausas
Excutiat pecudes, septis custode fugato:
Haud aliter Tilio diris dolor ossibus ardet
Nunc lustrat muros, aditúmque per avia quærit,
Nunc fossas implere parat, nunc vellere vallum,
Nunc scalas muris poscit, nunc turribus ignes.
Sulfureis latè nimbis atque imbre globorum
Obruit obsessos, cælum tonat omne fragore,
Omne genus cives telorum effundere contra,
Infestóque globos mittebant pondere, si qua
Hostilem possent aciem perrumpere, si qua
Et vitam & patrios possent defendere muros.
Non hos dura fames, series non longa malorum
Turbavit, versis poterat Bojaria fatis
Lugere, ast aliter divûm pater atque hominum Rex
Esse jubes, metas qui rerum & tempora ponis.
Illustres Animæ si quid mea carmina possunt,
Mnemosynes templo æternùm vos fama sacrabit.
Jamque aderat mensis Solymam quo Flavius urbem
Perdidit, & late grassata est horrida Erinnys
Effrænísque furor, facibúsque armata Megæra,
Quum sexta Oceanum surgens Aurora reliquit,
Et superis invisa dies & tristibus umbris.
Si mihi tot, Phariæ custos stellate juvencæ,
Quot tibi sunt oculi, tantum lenire dolorem
Non ego sufficiam, tamen heu! quis talia fando
Temperet à lacrumis? si ceu Phœbeia Byblis
Verterer in fontem, gelidas tenuatus in undas,
Non ego turbatæ possim restinguere mentis
Æstus, non dignis luctum conatibus æquem.
Exsuperant hostes tandem fastigia muri
Permistum ruit omne nefas, Bojaria quicquid
Porcino nutrit stabulo, quod Gallia sordis

Exſpuit, & quicquid produxit Iberia abortûs
Prodigiique; furor, cædes, incendia, peſtis
Ante oculos volitant & pallida mortis imago.
Gorgoneis furit Alecto torquata colubris:
Theſſalus abruptis veluti quum liber habenis
Fertur equus, campóque volans exultat aperto.
Scloppeto perit hic, craſſum vomit ille cruorem
Enſe cadens, mediáque jacet revolutus arenâ.
Natus longævi ante oculos atque ora parentis.
Occidit, & patrii fœdantur funere vultus.
Hinc pater in tepido mactatur ſanguine nati.
Parte aliâ fratrem cari moribunda levantem
Fratris membra ſolo crudelis perforat haſta.
Et fratrem fratri cognatáque pectora jungit.
Extinctæ pendere illinc, miſerabile viſu!
Infantem videas genitricis ab ubere, & inter
Triſtes amplexus languentem animam exhalare.
Hinc aliæ cædes, alius furor, inde puella
Crinibus, heu! trahitur, fruſtraque ad ſidera tollit
Inſontes palmas, alii quam quiſque probavit
Aut potuit, rapiunt: reſonat clamoribus æther
Fœmineis, reſonant miſeris plangoribus ædes.
Ille domum clauſam penetrat, poſtesque revellit
Aeratos, rumpitque aditus, ſi forte latentes
Inveniat gazas animi irritamen avari.
Quis tantam cladem, quis triſtia funera fando
Explicet, aut poſſit lacrumis æquare dolorem?
Cœperat obſcurus tibi Phœbe obducere velum
Veſper, cœruleâ terras & texerat umbrâ,
Continuò furvam illuſtrant incendia noctem
Aurea continuò cæli convexa favillâ
Ardent Tartareâ, mortiſque Orcique ſatelles
Neccareum, exultat, pariter lambente lacunar
Vulcano & totum retegentibus æthera flammis.
Ah! quoties illi, quos cæcâ forte cavernâ
Aut ſummo poſuit tecto fortuna, timorque,

Jam

Jam cæli, dixere, ruent, elementa fatiſcent,
Et deſormi chaos ſquallentia regna reducet,
Et terram rupto Cocytus ſolvet hiatu!
Ah quoties latitans dixit matrona, Croatam
An! ſequar exul, inops, tumulis avulſa meorum?
An ſequar? & pellex inceſta cubilia, pellex
An ſequar? heu! cur non, cur non optata petenti
Mors datur? & quo me ſervas damnoſa ſenectus?
Has inter lacrumas, & triſtia verba gementum
Urbs antiqua ruit, ruit alto à culmine dives
Regia, & Heroæ pereunt cunabula gentis.
Hiccine vos memorem Friderici, gloria gentis
Maxima Teutonicæ, inſignes præſtantibus armis,
Inſignes pietate viri, ſuper æthera famam
Ferre quibus licuit? num te Caſimire paternæ
Hæredem taceam laudis? num noſtra relinquet
Melpomene indictum, lapſum qui tempore fratris
Reſtituis Domini cultum, lætámque reducis
Afflictis faciem rebus, patriæque gementi
Inconcuſſa premens magni veſtigia Othonis?
Non ego te fruſtra, nimium generoſe Philippe,
Lætus tranſierim, te quem Solimannus ovantem
Horruit, & Turcûm pulſæ timuere phalanges,
Obſidio aggreſſum muros liberare Viennæ.
Auſpiciis cujus ſtetit Auſtria terra fugatis
Hoſtibus, & ſtat adhuc ſuperis inviſa poteſtas.
Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ:
Exitium ignarus ſervas, peſtémque nepotum.
Illi armis in regna ruunt, in regna tuorum
Perditur, heu! ſtatio Chriſti benefida carinæ,
Quo neque vel ventis aditus, vel fluctibus atris,
Quo neque Tartareâ prognata palude locuſta,
Irrupit, Stygium potuitve aſpergere virus,
Nec Cynici fratres & corda oblita laborum,
Nec qui tergemino frontem diademate cingit.
Ac veluti incluſi ſeptis, ſub matribus agni

Bala-

Balatum exercent tuti, distentáque siccant
Ubera, non aliter Christi florebat ovile
Hic recubans, verbi divináque pabula carpens.
Nunc cecidere arces, priscíque corona decoris
Nunc cecidit, cecidit totum cantata per orbem
Bibliotheca, opibus spoliisque Orientis onusta,
Quam miratus Arabs, & quam Judæus Apella,
Græcia quam stupuit, Latiúmque, emissus Eoo
Cardine quam stupuit Titan, quam mersus Ibero.
Bibliotheca suos sileat Mareotica libros,
Ungara neve tuos jactet Corvine labores;
Unam præ cunctis Palatinam fama loquatur.
Illa alias inter tantum caput extulit, altæ
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.
Hîc Cyrrhæ tibi & Musis gratissima sedes,
Hîc locus assiduè lauro Permesside florens.
Hei mihi nunc qualis, quantum mutatus ab illo
Auspiciis, Grutere, tuis qui floruit olim!
Heu periit variis Academia culta Camoenis!
Istic sanctorum divina oracula vatum
Exposuere Patres, istic sparsere salubris
Ambrosiæ succos & odoriferam Panaceam.
Hîc jura & leges, & quicquid Scævola, quicquid
Paulus habet, quicquid Themidis sanctissime mysta
Papiniane doces, hauserunt juris alumni.
Hîc Danaus docuisse suas Podalirius artes
Creditur, hîc Italûm viguit facundia, Grajûm
Hîc viguere sales; cui non Ursinus amatus,
Cui non Tossanus? quis te Scultete tonantem,
Grandiáque indomiti Lutheri verba minantem
Non stupuit? quis te Juris Gothofrede sacerdos,
Cui dulci Pallas formarat nectare linguam,
Cui dederat reserare Themis penetralia Legum
Non est miratus? mihi túne indictus abibis
Coppeni interpres divûm doctissime? túne
Arte Machaoniâ insignis clarissime Smeti
Cui

Cui duplicem Phoebus dederat gestare coronam?
Num vos prætercam, quos sors inimica coegit
Diversa exilia & diversas quærere terras
Felix ante alios, qui nequid tale videret,
Occubuit placidâ præventus morte Pareus!
Nil nisi nunc lacrumas lacrumis confundere possum,
Et tristes lacerare sinus & pectora planctu,
Impleurorque mihi querulis ululatibus astra,
Nunc & amara dies & noctis amarior umbra est.
Nulla meam potis est recreatio tangere mentem,
Usque adeo medium, seu cor, seu lumen ademtum est!
Sed tu tranquillâ frueris dum pace Geneva,
Te decet à Domino veniam pacémque rogare,
Te decet & notos scelerum dediscere calles
Et versare animo tristissima fata sororis
Hæc documenta tibi posuit patientia Patris
Ætherei, rapitur justo quæ læsa furore.
Suppliciúmque morâ crescit, quæ sera subitur
Esse solet major semper, graviúsque dolend
Poena venit, faciant aliena pericula cautos.
Sacrilegas arcete manus, arcete, nec ulli
Parcite, facta oculis siquidem scelerata tuetur
Numen vindicibus; thalamos violare nec ullus
Audeat alterius, nec dono noctis opacæ
In furias. Venerémque ruat, caligine nullâ
Fallitur Altitonans, pretio ne figite leges.
Discite justitiam moniti, nec temnere Christum.
Tu cui sceptra Deus, tu cui commisit habenas,
Ne te regnandi teneat tam dira cupido,
Ut duro gemat oppressus sub pondere civis.
Præfectos pudeat sprevisse, hoc vincite Cives
Et prohibete nefas, & vos Deus æthere summo
Proteget, & vestris arcebit moenibus hostem.
Da pater ut rata sint precibus quæ poscimus à te
Fácque reos voti, quæso miserere gementum
Ne furor usque tuus serpat, nec amabile vultus

Conde jubar placidi, meritas agnoſcimus iras
Et fœda ante oculos ſcelerum verſatur imago.
Parcito ſupplicibus, longo fractíſque dolore,
Pectora nec ſpernas peccati ſaucia ſenſu.
Perde, Pater, populos qui te celebrare recuſant
Ignaróſque tui; ne, ne Pater optime, gentes,
Ludibrio excipiant moribundæ caſtra Sionis,
Impuras Babylon ne jactat ad æthera voces,
Ille Deus veſter nunc quanam ſede moratur?
Quid ceſſat, cur non properat ſuccurrere lapſis?
Eripe nos morti, noſtris & cladibus ultor
Accede, & patriâ reduces conſiſtere terrâ
Fac iterum Deus, ut ſic Hæidelberga Genevæ
Juncta, tuas laudes celebret, clangoribus aſtra
Aſſiduis reſonent, & te Dominúmque Patrémque
Cantibus ingeminent caræ juga ſancta Sionis.

---

# RAPORUM
## SABAUDICORUM *LAUDES*
### *Anno* cIↄIↄxxxv

FOrte ſub umbroſa conſederat arbore paſtor
Tityrus & triſteis agitabant pectora curæ,
Quáque Arva in Rhodanum auratas devolvit areras
Errantem videre gregem, nec carpere paſtum
Actæus Corydon, calamóſque inflare peritus
Thyrſis, Grynei nemoris duo culmina, quos nec
Carminibus vincat ſylvas duxiſſe ſequaces
Cui lyra pulſa dedit, ſolúſque retexere fata
Sponſæ qui potuit, Tyrias nec carmine Thebas
Qui ſtruxit, ſcopulúmque altas compingere moles
Amphion doctus, nervos vel pollice pulſans.
Thyrſis ait, Corydon, nec enim me lumina fallunt,
En tibi Damonis pecudes, acrémque Lyciſcam,
Ti-

Tityrus haud procul est, nec me sententia vertit,
En tibi sub patulæ recubantem frondibus ulmi,
Dormiat, an vigilet, non est mihi dicere promtum.
Ille suos, inquit Corydon, meditatur amores,
Terniacæ pridem resonant Leucorida Sylvæ.
Quid nos huic ulmo succedere Thyrsi moramur?
Nos quoque Phœbus amat, nos turba novena Sororum
Respersit Lymphis Aganippidos Hippocrenes,
Tityre coge pecus, lætúmque in mollia mitte
Pabula, quid tristeis curarum in pectore fluctus
Volvis? & infestus populatur viscera mœror?
Annon te decuit cantu lenire dolorem,
Te quem Pierides molli tellure cadentem,
Excepere sinu? Syriæ rectore phalanges
Sancheribo illæ ubi nunc? ubi nunc miseranda Palati
Rudera? dic ubi nunc Musis gratissimus amnis
Neccarus æterno dictus tibi carmine quondam?
Eja age, pelle lyram, nervûm concordia nobis
Daphnin fac resonet, Daphnin quem fata Batavis
Præpositum gregibus, peracerbo funere nuper
Eripuere, nimis, nimis, heu! properantia fata,
Daphnin quem totiens, totiens, sensere latrones
Hesperiique lupi, Ausoniæ scelerata propago
Vltorem timuit, Celtæ coluere, virique
Quos alit immensis dives Germania campis,
Sarmata bellator suspexit, Cimbrica pubes
Divisi & toto stupuerunt orbe Britanni.
Tityrus exiliens suspiria duxit ab imo
Pectore, & in mœstas voces sic ora resolvit
Quid me sollicitas Corydon, quid maxime Thyrsi,
Thyrsi decus nostrum, quid vos præclara bicornis
Astra jugi? necdum didicistis Apollinis artes
Artifici nocuisse suo? ne credite ripæ
Ad solem ipse aries etiam nunc vellera siccat.
Ecce habitant illo torvi Cyclopes, in antro,
Quos animi ferus ardor agit, reseranda cothurno

Arma Sophoclæo pastorem forte canentem
Si videant, tenui deductum pollice carmen
Ex illo placuit, calamis Leucorida nostris.
Diximus; at vobis quia me parere necesse est,
Incipiam & tenui meditabor arundine carmen.
Arma virúmque canant oculis quos Cynthius æquis
Aspicit, Alpinis quoniam versamur in oris
Et sua quémque decent, nunc noster radet arenas
Remus, nec medii penetrabit marmora Ponti.
Rapa Sabauda canam, faveat si dexter Apollo,
Rapa Sabauda Diis, mensísque accepta secundis.
Non mihi si linguas centum natura dedisset,
Oráque quot dederat centumgemino Briareo,
Non mihi si dextras centum, centúmque dedisset
In dextris calamos, raporum commoda possim
Dicere, vel chartis signare capacibus ausim.
Seu tu Phillyridæ quæras arcana bimembris,
Antidotos, præsentémque artem Amythaone creti,
Seu tu delitias Regum, mensásque secundas,
Atque laborantem stomachum recreantia lautis
Exoptes inferre epulis, non Phasidos unda
Orbanda est avibus, piscoso mersa Lemanno
Viva, tremensque tibi ad mensam nec Trutta ferenda,
Non quæ Santonicis referunt conchylia laudem
Eruta littoribus, nec sunt exotica nobis
Pharmaca Bresilio tristi vectanda carina,
Non Arabum fruges, non Thessala Centaurea.
Hic Panacea potens præsto est, hic nobile Moly,
Moly venenato præstans medicina dolori,
Moly Colophonio celebratum carmine vati.
Ambrosias ne quære dapes, ne quære Deorum
Pemmata, Nectareis insunt namque omnia rapis.
Tollere nodosam solet hæc medicina podagram,
Et tua verba fide, Pelignæ gloria gentis,
Ecce carent, tumidos etenim si forte secabit
Dira podagra pedes, ferventi jure foveto
Vel

Vel tu carnifici contusa impone dolori,
Protinus exilies, pernicibus ignea plantis
Nec te, crede mihi, cursu superabit Amazon.
Tu poteris volucres pedibus prævertere ventos,
Nec tibi Pharsalius plausu, fremitúque secundo
Eripiet palmam juvenis, per summa volabis
Gramina, nec teneras currens oberabis aristas.
Pernio si torquet, corrodens inde rosatum,
Inde cavo rapi ceratum, moxque liquescat
Impositum prunis, adaperta hoc deinde linantur
Ulcera, confestim venient in pristina vires.
Calcibus æratas rigidis effringere valvas
Jam potis & choreas pedibus jam plaudere duris.
Corrugas Corydon nares? nec postica sanna
Ulla, nec à tergo ridenda ciconia pinsat.
Mira quidem, sed vera cano, ter maxime Thyrsi,
Námque pedum vitio rapæ cuicunque medentur.
Cum sale si crudas tundens Epidaurius ægris
Admoveat senior pedibus, dolor inde recedet
Omnis & in totum superabitur arte magistrà.
Quid plura? articulis non est præsentius ullum
Auxilium, jungatur adeps, affecta linantur,
Si primum revocare velis in membra vigorem.
Inter theriacas Anazarbi gloria magnæ,
Theriacas durum solitas lenire dolorem,
Collocat in primis brumalis semina rapæ.
Te quoque vesicæ tardus si mordeat humor
Sunt comedenda tibi Nursini cymata rapi,
Sed quæ Vulcanus domuit ferventibus undis,
Mox facili rapidum stillabit ab inguine flumen.
Si fauces pectú'que dolent, puræque recludit
Morbus iter vocis, non est quod molliat æquè
Quàm quæ, Lemovices, vestris reperitur in agris
Gongylis, excellens facilísque medela dolori.
Vos quæ sollicitæ gestatis dulcia matres
Pignora, Pegaseos alacres simul agmine facto

Pra-

Præcipitate gradus, pandam mysteria gratis,
Si lumbricus edax duris puerilia vexet,
Corpora torminibus, citreo permista liquori
Semina Buniados propinet sedula nutrix:
Languida Pæonius recreabit viscera potus.
Si pueros vexant taurino à stercore turpes
Quæ nomen traxere boæ, papulæque rubentes
Misce decocto lentis, Venerisque capilli
Quos Amiternus ager fœlicibus educat hortis.
Naporum semen bibat æger, protinus omnes
Corpore depellet papulas, morbíque malignam
Vim reprimet, solito vultus candore nitebit.
Quid referam Ictericos, vel quid mea Musa loquetur
Quos sitiens distendit hydrops? decocta bibantur
Marrubia, oblongi permisto semine napi,
Et fugiet morbus venis & corpore languor.
Si te cruda gravant, solitum concoctio munus
Nec faciat, bibe dulcacido diffusa liquori
Semina Buniados teretis, lympháſque tepentes.
Gongylidis succos, oculis caligine pressis,
Excipe sylvestris, quum rubra Canicula lævo
Lumine torquebit terras & lacte puellæ
Admisce, efficies puros hoc unguine visus.
Dudum fert animus generis captare favorem
Fœminei, procul hinc Timon, procul esto severa
Tetricitas, lepidum quid enim genus omne perosi,
Venistis sacrum Musis turbare theatrum?
A Jove forma datur, nec sunt spernanda Deorum
Munera, sed curâ potius, cultúque juvanda
Sollicito, rapiunt anni, minuúntque decorem.
Forma fugax properat, moritur flos ille juventæ
Aureus, ut rosa quæ, per Serica regna feruntur
Ignipedes dum solis equi, diffundit odorem
Ambrosium late campis, & flore dehiscit
Puniceo, Uxisamæ sed quum stabulantur in antris
Defloret, pueris, nec non invisa puellis.

Vos

Vos ô fœmineâ reparatæ Epimethidos arte,
Vos, patris imberbis soboles barbata, juvare
Constituit, vestræque cupit succurrere formæ,
Ne cito fluxa cadat, longos intacta per annos
Sed maneat, Libyco posthac non Sandyce vobis
Est opus, è plumbo non est cerussa petenda,
Nec succo splendente genas ornate, facessat
Camphora, nec vultus lædant impura decoros
Pharmaca, Gongylidis certa est medicina Sabaudæ.
Hanc tu smegmatico misce Galathea lupino
Antiopen formâ vinces, nec rure Therapnæ
Nata puella tuis oculos componere ocellis
Ausit, quæque Jovem cygni latitare sub alis
Compulit, Hermione victricem victa loquetur.
Cyrrhæis descende jugis nunc, turba sororum,
Castaliósque mihi latices Helicone propina,
Naturæ ut possim reserare arcana parentis.
Te Natura parens homines fecere novercam,
Præsentes dederas nobis, faciléſque paratu
Antidotos, tenues, faciléſque, at prodiga rerum
Luxuries, tenui nunquam contenta paratu
Fecit difficiles, variis medicamina rebus
Confundens, pudet effari; Mithridatica fertur
Antidotus, quinquaginta & quatuor medicatis
Rebus composita, & diversis singula quæque
Ponderibus, decimæ partis pars sexta subibit
Denarii rerum quarundam, turpe relatu!
Heu! quo perfidiam talem monstrante? furentes
Quid potuere aliud Stygiis accersere campis
Eumenides; nec subtilis progressa fuisset
Illuc mens hominum, naturæ dotibus illi
Incolumem potuere satis traducere vitam.
Pocula si quando infecit pallentibus herbis,
Vel Perimedeâ si coxit gramina dextrâ
Colchis anus: serpens extremæ verbere caudæ
Si quoque distrinxit, non est præsentius ullum

Auxilium, citiùs læso quod toxica pellat
Corpore, vel meliùs membris agat atra venena,
Quàm si vitigenos latices Podalirius ægro
Misceat, Allobrogis medicatos semine rapi.
Atque etiam attritis si pars affecta linatur
Seminibus, vel si Calamentum, & Lemnia terra
Mixta simul læso dentur sorbenda, maligna
Vis fugiet morbi, Stygiúmque è corpore virus.
Præstans antidotus, tristis si forte coorta
Pestilitas miseris exhaurit civibus urbes.
Vtere, si tibi mens vitaleis aëris auras
Carpere, nec tædet cæli convexa tueri.
Sed quo me mea Musa rapit? non ulla laborum
Meta foret, si Pæonias describere vires,
Cunctaque raporum percurrere commoda vellem.
Nunc aliò me mensa vocat Regúmque, Deorúmque,
Ambrosiis dapibus rapas nam regia cœli
Prætulit unanimis, postquam pater ipse Quirinus
Brumali jussit gaudentia frigore rapa
Ponere structorem, atque epulis inferre Deorum.
Si mea sunt caritura fide, tu Bilbilis esto
Tuque Salo testis, chalybis durator acuti.
Quid Curium referam magnæ decus urbis, & orbis
Auctorem, Romane, tui, cui rapa fuere
Delitiis, quem fictilibus cœnare Sabelli
Viderunt, rapámque foco torrere rigentem.
Obstupuit Samnis, rutilísque recessit onustus
Frustra divitiis, nimium, nimiúmque beata
Sæcula, quæ talem dias in luminis auras
Progenuere virum! Nostro nunc tempore luxus
Parvarum populator opum, ferit ostia meræ,
Summo státque gradu, nostris in collibus orta
Pridem sperauntur, nec jam Sulmone petita
Vina placent, calathis dulce Arborosia nectar
Funduntur, cellis & non cessura Falernis
Quæ Frontiniacis producit Martius oris
Narbo

Narbo, ſicque juvat ſpumantes ore ſupino
Vertere crateres. Jam bubula fœtet, ovillæ
Jam pudet, & noſtris procul, ô, procul eſte rotundæ
Gongylides menſis, populi portenta ruentis.
Sumen jam renuunt, ſterilem gallina maritum
Nec ſequitur, menſáſve onerat, plebeia voluptas
Diſplicet, & vulgo jam cognita gaudia ſordent.
Nunc pretium rerum minuitque, augètque ſaporem;
Ut renovent per damna famem, ſylváſque, natantéſque
Excutiunt campos, nulla eſt impervia tellus,
Annicióſque lacus orbant Perdice, Sedunum,
Pennináſque Alpes avibus, quas Phaſidos unda
Prima dedit, Pavos regali ſplendida luxu
Turba vorat, ſubtili hodie, doctóque palato.
Ruſticula haud ſapiet, nec Turdus mattya prima.
Non pyra, non dulces ficus, non mitia poma,
Molles caſtaneas, Gayenſi & de grege maſſam
Structorem videas menſis inferre ſecundis.
Ingenioſa gula eſt, Indo lactuca videtur
Incruſtata ſale, Angelicam vocitavit Apiti
Progenies buccam; roſeus pepo, citrea mala,
Cæruleus cucumis, tumidóque cucurbita ventre,
Perſica mala, nuces Thaſiæ, bericoccia, pruna
Hoc quoque durantur pacto, menſáſque ſecundas
Ornant. Velleribus hirſuta cydonia canis
Diſſecta & ſucco cannarum incocta docentur
Splendorem vitri, ſpecies & mille referre,
Et catulum & florem, turrem, fulvúmque leonem
Induere, & variis imitari Protea formis.
Maza, panis Ligurum, paſtæ, bellaria menſis
Apponi ſolita, udi irritamenta palati.
Ah! ubi ſunt hodie noſtrorum pemmata Patrum,
Regia Gallorum quum te Lodovice vocarent
Sceptra ducem? ſtipulis & cannâ tecta paluſtri
Quum te parva domus caperet, parvíque penates
Agreſte hoſpitium, gerris Burgunda vorantem

Rapa Cononæis, nullisque paratibus escas?
Quum tu pacatum propriis virtutibus orbem
Celtarum regeres, placidáque in pace paternis
Jura dares populis, fertur Teletusa Cononem
Vocibus his affata suum, carissime conjux
Pars animi bene magna mei, quo sospite nunquam
Vita molesta mihi, vel iniquâ mente ferenda,
Pauperiem tulimus contenti pauperis horti
Divitiis; tulimus; nec te, mea sola voluptas,
In cassúmve tuos volui exercere labores.
Pacificâ nunc sceptra manu regalia gestat
Et conjurato dejecit vertice pridem
Castra inimica, regitque sui Lodovicus habenas
Imperii; cape rapa Conon, mora segnis abesto,
Ad Luparam tende, augustique palatia Regis,
Ni frustra augurium vani docuere parentes,
Rex memor hospitii referet pro munere grates,
Pensabitque tuum pretioso munere munus.
Dixerat; ille suæ uxoris parere parabat
Imperio, & primum soleas induxit agresteis
Lignea materies capitatis undique clavis
Distincta & compacta fuit, seu flumina supra
Seu terram, hunc soleæ semper portare solebant.
Tum baculum capit, hoc longâ defessa levabat
Membra viâ, & volucri saltu superare profundas
Assuerat fossas, hoc præsidium, hoc decus illi,
Hoc solamen erat; hostes hoc ille fugabat
Ense ferox, duróque probè nisi fuste dolatas
Cederet auriculas summittens, victor abibat.
Postremò aptatur gibboso mantica tergo
Plenáque furfureo tumuit pars altera pane,
Plenáque selectis tumuit pars altera rapis.
Jam patriæ procul extremis excesserat oris,
Ignotáque Conon errans regione viarum
Pane ferebatur consumto, & vertere morsus
In rapas, illum penuria adegit edendi

Uná-

Unáque restabat, de tot modò, rapa Cononi
Maxima de cunctis, nec erat quod subderet ultra
Mandibulis, quando detecta apparuit ingens
Lutetia, & penitus turres patuere superbæ.
Rusticus obstupuit, conspectis mœnibus urbis,
Esse suæ similem villæ quam sæpe putarat:
Nubifero qualis delapsus ab æthere quondam
Mulciber, attonitus subitâ vertigine, campos
Horruit Æolios Siculi fumósque camini.
Sed cogente fame redit in præcordia virtus
Lutetiæque Conon, audito nomine, promptus
Advolat, & muros, & summas præterit arces,
Præcipitátque moras omneis, cubito omnia rumpit
Lætitiâ exultans, penetrátque palatia Regis;
En tibi, rex Ludovice, inquit, quod protulit hortus
Rapum, Nectareâ superans dulcedine molles
Castaneas, Thasiásque nuces, & roscida mella.
Olim dignatus nostris succedere tectis
Ipse comedisti, mentem non dona Cononis
Aspice, nam si me facilis fortuna volentem
Juvisset, Rex magne tibi, nunc plura dedissem.
Rex agnovit eum lætus, dextrámque tetendit,
Acceptum pretiosa inter cimelia munus
Exiguum referens, jussitque accumbere mensæ.
Ille vorat, vacuísque fugat jejunia venis,
Exhaurit patinas, collecta fatigat edendi
Ex longo rabies & siccæ palmite fauces
Vitigeno, nullóque habuit discrimine carnes,
Sive forent volucres, seu pisces, omnibus idem
Quippe Conon, latrantem illi mens unica ventrem
Nam placare fuit, solidáque onerare saburrâ.
Ut verò est expulsa fames, atque ardor edendi
Illi rex jussit numerari mille philippos.
Qualem tecta super pedibus si forte ligata
Culeola, effusis superantem cursibus auras,
Præcipitare fugam felem persæpe videmus,

 Talis

Talis præcipiti, nummos ubi sensit & aurum,
Arva Conon hilaris cursu Burgunda petebat.
Illâ Demochares se se jactabat in aulâ
Dives opum, sed cui dederat fortuna Senatûs
Et populi prima in clupeo gestare elementa.
Hic ubi Gongylidem pensatam munere vidit,
Divitias animo stultus concepit inanes.
Barbarus, & maculis internigrantibus albis
Hunc portabat equus, Zephyrósque Notósque morantes
Præteriens, cui nulla quies, vestigia cursu
Ventura anticipans alacer, dextráque reflexæ
Cui cervice jubæ, parvum caput, ampláque lumbis
Spina & collectus fumans sub naribus ignis.
Talis Amyclæi domitus qui Castoris arte
Cyllarus, & frænos qui primus sensit Arion.
Aulicus hoc Regem præstanti munere donat.
Ille dolos sensit, fraudíque opponere fraudem
Constituens, multùm laudato munere, rapam
Vellere sericeo decoratam jussit habere
Democharem, pretiosa inter sibi munera, munus
Præcipuum, multóque auro, magnóque redemtum
Munere, nec quicquam potuit vel pulchrius illo,
Utiliúsve dare, Actæi sententia quippe
Dia Platonis erat nil pluchrius esse rotundo,
At quis Gongylidis formam neget esse rotundam?
Utilius dare nec potuit, vos este, Padani,
Taurinique mihi testes, queis rapa fuere
Semper delitiis, fructus queis tertius ille
A Cerere & Bacco, solennis gloria mensæ,
Si modò vera canit soleas qui torruit Ætnâ.
Vos quoque Lemovices, & vos generosa Sabaudi
Pectora, quandoquidem vobis alimenta ministrant
Gongylides, totúmque genus, pecudúmq; hominúmq;
Vescitur Ambrosiis nullo discrimine rapis.
Téne ego prætereaam, téne urbs antiqua Triboum,
Non memorem? hospitio tu me puerilibus annis

Excipiens pretium docuisti ponere rapis.
Sive elixa probè fuerint ferventibus undis,
Imposita ambusto torri seu tosta ferantur,
Seu subeant patinam in partes dissecta minutas,
Moréque Teutonico in larido concocta recenti.
Angli tosta secant, & dulcia sacchara miscent
Zingiberi, torpens docti recreare palatum.
Est qui rapa oleo, atque acri perfundat aceto,
Et sale cum modico comedat, lactuca movendo
Si desit ventri, in primæ promulside cœnæ.
Sic soliti Veteres lacrumoso rapa sinapi
Condire, & muriâ & multo perfundere aceto,
Hæc languentis enim stomachi fastidia pellunt.
Singula quid referam? propior fit Vesper Olympo
Hesperiæque terunt campos Pyroeis & Æthon.
Mulciberi, pelagíque inter duo festa Deorum
Rapa serenda tibi Corydon, pendentibus undis
E cælo, pluviámque tibi minitantibus astris.
Sed tibi sunt, Coridon, tibi, vicinisque serenda,
Fertilius nihil est rapis; curámque minorem
Quod poscat, promtè nullis obnoxia damnis
Proveniunt, terram fuerint si nacta feracem
Grandia nascentur, vel centum æquantia libras.
Tu sere Gongylides, tu quem tua Cynthia nulla
Prole beat, tu qui sterili Venere exigis ævum,
Esu raporum concrescent semina membris,
Et partu poterit conjunx ditescere dulci.
Balnea nequicquam, multi Medicíque fatigant,
Nos tibi consulimus, Corydon, tu credito nostris
Consiliis, omni vacat hæc medicina periclo;
Et sæpe est olitor verba opportuna loquutus.
Dixerat, & Thirsis te respondere parantem
Occupat: ô Corydon, tali pro carmine dona
Quæ tibi reddemus? quia munera digna referre
Non opis est nostræ, ex animo tibi dicere grates
Tityre sufficiat, præsertim hoc tempore parvas

Quo vix magna licet, grates benefacta reportant
Omnia quippe ingrata, nihil fecisse benignè est.
Tu ne cede tamen, sed contrà audentior ito
Ipsa sui merces virtus, nil indiga laudis
Nil pretii externi, vivent tua carmina, vivent
Dum Rhodani fluet unda lacu permista Lemanno.
Vivere quàm parvo liceat, quàm pauca requirat
Natura, Aoniis resonant tua plectra Camœnis.
Luxuries jam victa cadet, victrixque resurget
Aurea sobrietas, vitiis medicina salubris,
Virtutúmque penus locuples. Quum legeret horto
Exiguo Curius rapas, & munera Regum
Sperneret, auxilium nostri sprevere parentes
Dulcis Hygea tuum, neque enim pituita ferebat
Languenti stomacho turbas, nec dulcia bilem.
Mentem obtundebat dapibus, nec corpus onustum
Mens hilaris, generosa, sagax in corpore sano
Sed fuit, adversis virtúsque interrita rebus.
Discite lurcones, comedones, discite ventres,
Ambitiosa fames quàm non sit, cum sale panis
Placandæ satis est, mensas non illa nitentes
Postulat & patinas, Regúmque obsonia quærit.
Si vobis immensum argenti pondus & auri
Vestráque thesauros si non capit arca, paratus
Pauper adest, cujus penetrant suspiria cælos.
Templa antiqua ruunt, & propugnacula longo
Tempore victa labant, patriæ succurrite tantis
Divitiis, meliùs vestras insumere nusquam
Quippe licebit opes; sic, sic vos certa manebit
Gloria & æternum constans per sæcula nomen.

Mau-

## *Mauricius Naßovius Princeps Arausionensis* &c.
### Promotionib. *Anno* clↃlↃcxxvii.

SI mihi Praxitelis cœlum, si Mentoris artes,
Aut mihi peniculus Zeuxis, doctive Timantis,
Vel quæ Parrasium, vel quæ celebravit Apellem
Dextra foret, Pario starent de marmore vultus,
Heros magne, tui, viviſque coloribus eſſes
Conſpicuus, Coi nec te ſuperaret Apellis
Fulmen Alexander quatiens, radiata Coloſſi
Nec moles Rhodii, tua nam, tua maxima virtus
Pellæum juvenem ſuperans, ô gloria gentis
Naſſoviæ, artificis tabulas ſuperare meretur,
Phidiadáſque manus, artíſque toreuma ſuperbæ.
Marmora ſed pridem & tabulas ſpirantiáque æra
Tabida conſumſit penitus, fregítque vetuſtas.
Illa dabant arti ſolos effingere vultus
Nec mentis poterant, animive oſtendere dotes.
Et tua, Maurici, virtus, illa inclura virtus,
Virtus quam toties Marranus ſenſit Iberus,
Marmore non capitur, plectro monumenta perenni
Sunt ponenda tibi; æternum ſibi poſcit honorem,
Æternúmque decus virtus æterna requirit.
Dignior æterno qui nunc celebreris Homero
Carmine divino, quàm qui celebratus Achilles,
Dignior altiloqui quem tollat Muſa Maronis
Laudibus, & cælis nomen famámque reponat,
Ilium in Italiam quàm qui, victóſque penates
Detulit Æneas Romanæ ſtirpis origo.
At mea Mæonio quàm diſtat Muſa cothurno?
Nec mihi Virgilii dictat mens enthea verſus,
Nec mihi Pindarici dives facundia Flacci,
Sed lutulenta fluit noſtro de pectore vena,
Nec mihi Calliope præſto eſt, Phoebúſve ſecundâ

Fron-

Fronde comas nectit, Clarium nemus advena pulso,
Ergo, Musa, sile, nullum testudo remittat
Tacta melos, tenuis superat præconia linguæ,
Summa nec indigno virtus tentanda labore est.
Quin potiùs teris ingenii vestigia cauto
Mira Timantæi gressu, tabulámque sagacem?
Iphigenia sacras peritura stabat ad aras,
Nec lacrumas tenuere ulli, nec jam ampliùs ullus
Continuit gemitum, lacrumæ undique & undiq; luctus
Ante alios Patruus tundebat pectora palmis,
Caniciem immundo deformans pulvere, & astra
Crudelésque Deos iterúmque, iterúmque vocabat.
Tristitiæ ut consumta tibi fuit omnis imago,
Restabat genitor, genitor tibi, docte Timante
Restabat, miseri ast luctum, lacrumásque Parentis
Exprimere, hicce labor fuit, hæc solertia mentis,
Quid faceres? quem non poteras ostendere dignè,
Velo obduxisti vultum majoris Atridæ.
Sic olim lacrumis casum miseratus amici
Obstupuit, vocémque dolor, gemitúmque repressit,
Egregium, charúmque sibi Psammenitus ire
Ut vidit natum manibus post terga revinctis,
Oráque portantem indignis lacerata lupatis.
At tibi, Cambyses, Persisque, ea miravideri,
Donec Tanitici vobis respondit Amasis
Progenies, tristem potui infelicis amici
Testari lacrumis casum, nunc lingua palato
Mœsta deest; nullo, nullo mea pignora luctu
Vos ego deflebo, tantum mulcere dolorem
Nulla querela potest, præstat, rex Persa, silere,
Nostra nec indigno corrumpere lumina fletu.
Tu quoque, Musa, sile, nullum tibi plectra remittant
Mota sonum, tacito decurrat littore cymba
Flaventésque levis remus tibi radat arenas,
In medio nam turba mari, tristeísque procellæ.
Esto, Musa, memor solos potuisse Gigantes

Saxo-

Saxosam ingenti imponere Pelio Ossam.
Eripit hanc nobis populosa Batavia laudem,
Illic Aonides posuere cubilia Musæ,
Mœnia fundantes Lugduni, Helicone relicto,
Cyrrha invisa jacet, nec grata biverticis umbra
Parnassi, & pridem neglecta cacumina Pindi.
Littora Teutonici doctæ elegere Sorores
Oceani, & Thetidis spumantes prætulit undas
Thespiadum sacrata cohors Aganippidos undis.
Heinsius ille hominum, divúmque interpres, alumnus
Phœbe tuus, latices quos præpetis ungula fudit,
Ore bibens pleno, Hesperios sperare triumphos
Ausit, & Archiduces celeri dare terga coactos
Versa fugà, castrísque inimicûm signa revulsa.
Sunt quoque laurigero quos Phœbus concutit œstro
Mille alii nomen cælis, famámque ferenteis
Qui tua facta canant & adactum legibus hostem,
Maurici decus Heroum, pacísque, ferique
Arbiter Odrysii, pugnacis terror Iberi.
Verum nostra minor chelys est, leviórque Camœna,
Carmine quàm digno tam splendida gesta referre,
Mnemosynésve tholo monumentum appendere possit.
Nec prosunt monumenta illis, quos ignea virtus
Extulit ad summa æternæ fastigia laudis.
In te quicquid erat mundo largissima dotum
Congessit natura simul, simul illa coire
Omnia virtutum commercia jussit in uno.
Sive artes belli, seu pacis cura tuendæ
Spectentur, summo posuisti culmine gressum.
Te solo nutu motos componere fluctus
Civibus in mediis vidit, stupuítque Batavus.
Vix emissa fuit tibi vox, posuere furenteis
Arma viri, dictu mirabile! pulsáque cessit
Seditio, rediítque animis concordia prima
Et pietas, cultúsque Dei & labefacta parentum
Relligio primis posuit tentoria castris.

Sic splendere solet Titan, ubi plurimus atris
Sæviit effusis in terras imbribus Auster.
Æthere sic fugiunt nubes, & pristina cælo
Lux redit, & roseas Phœbus contorquet habenas.
Quid monumenta tibi, cui tot monumenta perennis
Exstruxit virtus, nullum peritura per ævum?
Nescius hinc vinci se se Farnesius offert,
Te calcar subdente, fugam celerare coactus.
Hinc in magnifico ductus Mendoza triumpho,
Et tot rapta manu truculento ex hoste trophæa.
Parte aliâ Ligur astutus, Mavortia proles,
Spinola quadrupedem ferratâ calce fatigans
Avolat, & versis præceps aufertur habenis.
Hæc sunt ære magis monumenta perennia duro.
Imbribus hæc nullis, nullísque obnoxia ventis
Hostibus invitis stabunt, hæc nulla vetustas
Delebit, non ulla dies, non arma, nec ignis.
Victáque Pyramidum miracula barbara cedent,
Ergo, Musa, sile; quid tu sermone fritinnis
Calliope tenui, majoráque viribus audes?
Sic rapidum Solis Phaëton quum scanderet axem,
Et majora suis auderet viribus, ignes
Ultorísque Jovis penetrantia fulmina sensit,
Eridaníque undas casu tepefecit acerbo.
Sic nimis alta petens pennarum vincula ceras
Molliit infelix, & concidit Icarus, undas
Signavitque cadens nimio temerarius ausu.
Te nunc, magne Heros, capiat quum lucida cæli
Regia Principibus mixtum quos incluta virtus
Fecit Cœlicolas, quid jam nisi vota supersunt?
O utinam exsurgat, tua qui vestigia fortis
Impleat, & flammâ ferróque sequatur Iberos,
Qui fera corda domet victor, gentémque superbam
Jussa aliena pati & Dominos agnoscere cogat!
O utinam illa dies veniat, quo culmina victrix
Exsuperet Calpes, sedémque Ecclesia campis

Figat

Figat Celtiberis, & Christum Bætica laudet,
Oceanúsque Tagi fulvâ qui crescit arenâ,
Et Doris, Miniúsque jugum, triplicémque tiaram
Excutiant, resonéntque tuas Deus optime laudes!

## PARAPHRASIS PSALMI LXXIV.

ERgóne perpetuis supplex Ecclesia Christi
Externata malis duro sub fasce jacebit?
Ergone perpetuis agitatam fluctibus unda
Obruet, & summi penitus tutela parentis
Deseret, inque suos ferventi sæviet ira?
Ardebit ne Dei furor usque, nec ira residet,
Ibit & in Cineres tua qui grex pascua pavit?
Quin potius miserere, Deus, miserere, memórque
Fœderis, esto tui, cari memor esto peculi,
Nec te servatæ capiant oblivia gentis,
Néve cadant animo populi, pia turba, redemti.
Quos tua metata est colles & castra Sionis
Pertica, placatus leni, Pater aspice, vultu
Huc oculos, huc ora refer, curámque paternam,
Numinis hîcce tui sedes, hîc sancta tuorum
Vota exaudisti facili conquestibus aure.
Surge, Pater, quæso, surge & compesce furores
Sacrilegos, hostésque tuos, hostésque tuorum
Funditus exstirpa evulsos radicibus imis.
Fulmineis plagas plagis, atque ictibus ictus
Crebris ingemina, vastam collapsa ruinam
Det scelerata cohors, properet, properétque perire.
Illos nulla tui tenuit reverentia, culmen
Attigit impietas, furor, & vesania, nec quò
Progrediantur habent; tua nam sacraria, Christe,
Indignis temerare modis, dextráque nefanda
Ausi polluere & sanctas subvertere moles.

Tem-

Templorum in medio torvùm violenta leonum
Turba rugit, laudes & quæ resonare solebant
Vocibus (heu miserum!) reboant loquearia diris.
Et terram & cælos impunè superba triumphat
Factio, defigitque tuis sua signa, refigit
Et tua signa tuis truculentus moenibus hostis.
Structuræ decor exurgens super æthera sacros
Extulit artifices, titulos præcedere famæ
Jussit & antiquæ, sed nil cælata furentes
Limina, nil divûm manibus fabricata movere
Tecta valent; artísque nihil præstantia summæ.
Qualis prærupto succisa in vertice montis
Æsculus agricolæ ferro, duráque bipenni
Corruit, ingentique tonat, subitóque fragore;
Sic labefacta ruunt crebro sacraria pulsu
Arietis & vasto vectis, curvæque securis
Impete concussa ingenti sub pondere nutant,
Æternámque trahunt tandem succisa ruinam.
Nec satis, injiciunt inimicum turribus ignem,
Debacchatur edax flamma, & fastigia vento
Summa petit, fragor exoritur, crepitántque revulsæ
Compages, piceus glomeratur ad astra favillæ
Immixtus rapidæ fumus, caligine cælum
Nigranti tegitur, nec vis insana quiescit,
Quin priùs in cineres Dominô sacrata supremos
Considant adyta, & cineres det ventus in auras.
Eia age perdamus, perdamus quicquid in orbe est,
Perdamus, clamat, rabies væsana furentum,
Nulláque sacrilegæ superent vestigia sectæ,
Omnia perdamus, volitent incendia passim,
Immissísque furat Vulcanius ardor habenis.
Dicta fides sequitur, sequitur miserabile dictu
Certa fides, heu certa nimis! loca sacra ruere,
Undantesque rotant incendia vertice fumos.
Nulla mali nobis solamina, nulla dolorum,
Nulla gravis luctus miseris fomenta supersunt,

Signa

Signa ubi nunc? ubi nunc venturæ ſigna ſalutis?
Queis populum lenire tuum Pater alme ſolebas?
Proſpera ſigna tui quondam, Pater alme, favoris
Nunc ubi ſunt? ubi ſunt? cæcâ caligine noctis
Mergimur æternæ, lucis ſpes blanda receſſit,
Spes lenta, ſpes blanda tamen, ſpes illa receſſit,
Spes olim dubiis ſemper fidiſſima rebus.
Finem ſtricturæ nullum, nullâſque laborum
Conſlictus metas & nuſquam terminus hæret.
Ah! quouſque tibi ſcelerata protervia lento
Impune illudet, noménque ſuperba laceſſet
Turba tuum? ſacri ſempérne impura ſonabit
Numinis opprobrium? dira & blaſphema canentem
Túne feres tacitus? ne, ne Pater optime; cauſſa
Illa tua eſt quæ nos torquet, gens efferа ſolum
Te petit atque in te ſolo furibunda moratur.
Ah! quouſque manum retrahes,dextramque potentem?
Uſquéne torpebit ſcelerum juſtiſſima vindex,
Nec tibi ſupplicium ſolvent, meritáſque nocentes
Accipient poenas? ultor fortiſſime, tene
Æternùm ceſſare juvat?Quin prome latentem,
Prome ſinu dextram, pharetrâ deprome ſagittas
Ultrices, & digna ſcelus ſua poena ſequatur,
Sera licèt veniat, veniet gratiſſima nobis.
Exere nervoſos artus, gemináque ruentes
Multiplicáque ictus, tua nec Deus ira quieſcat,
Quin prius effracto colliferis oſſa cerebro.
Ad te ſupplicibus, rerum Pater, arbiter orbis,
Confugimus votis, immenſos quippe per annos
Temporis innumeram ſeriem, per ſæcula mille,
Tuta favore tuo fulſerunt caſtra Sionis,
Electique Deus populi, cuſtóſque fuiſti,
Imperióque tuo felices viximus omni
Tempore, & auxilii vexata illuſtre theatrum
Divini aſſiduè, promtæ, certæque ſalutis
Extitit à mundi primis Eccleſia cunis.

Juſſibus

Jussibus unda tuis lævâ, dextráque recessit,
O Deus, & vitreos montes capita ardua cælo
Vidimus inferre, stupuit natura solutas
Esse suas leges, stupuit sua jura novata,
Ignotum solem, ignota & vestigia sicci
Conspexere lacus, siccæ spectastis arenæ.
Cognatas abiisse undas, viduatus arenis
Cognatis liquor expavit, patuere recessus
Gurgitis & siccum pedibus peragravimus æquor.
Memphiticos verò proceres, immania Cete,
Obruit unda petens celeri sua regna recursu,
Perdidit unda ferox in se revoluta feroces,
Fluctibus & mediis cecidere, superba superbos
Extinguit moles; rapidos, rabidósque furentum
Æstus undarum relevat contraria virtus.
Bellua Niliacis quæ se jactabat in undis,
Bellua tetra jacet monstris data præda marinis
Alitibúsque feris, lacerat jam putre cadaver
Vultur Arabs, fœdóque liquentia viscera tabo.
Tu scissos aperis scopulos, venit agmen aquarum,
Et steriles silicis venæ & sitientia saxa
Uberibus fluxere undis, foecunda repente
Ariditas facta est; torrentes inter arenas
Arváque fissa siti, finivit copia lymphæ
Multa sitim, & plenâ populus se proluit undâ.
Versus & ad Phialæ fontes Paneæque recurrit
Pinguis Jordanes, subitóque exaruit alveus
Pervius Isacidum turmis, sanctæque cohortes,
Te duce, téque viam monstrante, per avia siccis
Non calcata prius calcarunt marmora plantis.
Singula quid referenda? dies reseratur Olympo
Arbitrio Pater alme tuo, noctísque vicissim
Clauditur obscuræ peplo, lux aurea Solis
Vestit & auricomo cingit diademate frontem.
Te sine luce suâ Titan spoliatus habenas
Flecteret errantes, fratris nec luce niteret
Cornibus

Cornibus illustrans Phœbe remeantibus orbem.
Tu certis terram spatiis, tu limite signas
Arctoásque domos stabili, septémque Triones,
Et quibus æternùm visu Cynosura negata est,
Te metante Oriens Seras discernit & Indos,
Occiduásque tenet felix Casperia sedes.
Terminat Oceanus terras, terræ Amphitriten;
Æquoris irati frænant cava littora cursum,
Fluctibus insanis positas transcendere metas
Nec licet, Imperii quis enim sacrata recuset
Jussa subire tui, sibi quis te dicere leges
Non ferat? anne ausit quisquam rescindere dictas?
Purpurei glacialis hyems, redeunte, Favoni,
Sidere Phryxæo, genitali solvitur aurâ.
Torrida mox æstas sequitur, mox Sirius ardor
Vestitos spoliat siccatis messibus agros,
Mox roseo autumnus varius, viridíque colore
Liventes tibi distinguit, tumidósque racemos
Sole suo faciens, coctis cum fructibus æstum
Ponit & ignavis succedunt frigora terris.
Sentiat orbis opem patriam; dum castra Sionis
Auxiliis orbata tuis devicta fatiscunt!
Ah! memori potiùs dicteria mente revolve,
Hostiléſque minas, jactatáque probra, nefandæ
Ah! potius Gentis sannas ulciscere, totis
Viribus in pœnas tandem consurgito, nomen
Proculcare tuum solitis, exscindere nomen
Festina, Genitor, teneat mora nulla ruentem
Ah! ne trade tuæ imbellis, timidæque columbæ
Ah! ne trade feris vitam, nec turturis exta
Unguibus accipiter gemebundæ eviſceret uncis.
Accelera, fer opem, stellas radiantis Olympi
Et numero superat Libycas inimicus arenas.
Accelera, fer opem, desolatúmque maniplum
Ocyus hostili propera subducere dextræ.
Pollicitam exiguus moribundâ voce salutem

Adde fidem dictis, juratum respice fœdus.
Omnia nigrescunt tenebris; violentia, cædes
In terris passim regnant, metuenda latronum
Undique circumstant spelæa, fugata recessit
Cum pietate fides, patet undique janua mortis.
Gens tua fracta malo, afflictis gens perdita rebus
Præsidio nudata in te, Pater optime, quærit
Præsidium, in te quærit deplorata salutem.
Ne, quæso, infamis confusa pudore repulsæ
Occidat (infandum!) hostilis ludibria turbæ.
Quin potiùs luctu exacto tibi mite levamen
Acceptum referat, lætis celebretque merentem
Laudibus & meritos labiorum mactet honores.
Esto tui vindex juris, conscende tribunal
Sistantúrque rei, tristis sententia sontes
Opprimat, & summo linguæ maledicta procacis
Supplicio compesce, Deus justissime, pœna
Opprobrii culpam falsi probrosa sequatur.
Hostilem fremitum & voces compesce superbas,
Néve truces strepitus taciturna silentia longùm
Dissimulent, voces nam murmura rauca prophanæ
Excipiunt, vocem strepitus strepitúmque pudendi
Clamores, reboántque feris ululatibus astra.

---

# PARAPHRASIS
## PSALMI CII.

Exaudi mea vota, Deus, mea vota, precésque
Excipe, quas supplex tibi nunc, Pater alme, malorum
Pondere collapsus fundo; nec verba precantis
Quin cælos penetrent ad te, res ulla moretur.
Nubila circumstant nos undique tempora, Solis

Au-

Aurea se nobis pridem subduxit imago
Ah! ne: absconde tuos, Genitor Sanctissime, vultus,
Tristia nec rapiant oculis velamina nostris
Augusti radios capitis, faciémque serenam,
Cladibus obruimur, facilem clamoribus aurem
Præbe & festina, subitum mala nostra requirunt
Auxilum, ne necte moras, dispendia quævis
Sunt damnosa moræ; tenues nam fumus in auras
Ceu diversus abit, fugiunt, fallúntque videntem
Cæca per æthereas cæli vestigia sedes:
Sic nostri periere dies, evanidus ævi
Flos periit dudum, in ventos & vita recessit.
Igne focus lento velut consumitur: ossa
Sic tuus ille focus crudeli tabe peredit.
Artubus humorem exhausit, fervénsque medullas
Excoxit furor & vireis in corpore fregit.
Cespite de molli incurvâ ceu falce resectum
Arescit gramen, rapidóque amittit ab æstu
Et mites succos, oculis gratúmque virorem:
Sic quoque cor propria nobis de sede revulsum
Dulcia naturæ penitùs fomenta parentis
Destituunt, nimióque ægrum languore fatiscit.
Dum gravis extendit longos se luctus in annos
Pervadúntque animum mœror, lentíque dolores
Præclusæ tenuere cibum torpente palato
Fauces, & miseros languor depascitur artus,
Os hebes est, positæque movent fastidia mensæ,
Invisásque dapes macies jejuna famésque
Excipiunt, fletu assiduo, lacrumísque jacemus
Absorpti, gemitus gemitum premit, ossibus hæret
Uix cutis & tabes liquescit cæca medullas.
Stridet ut horrendum ferali carmine bubo
Funereus, saltúsque replet mugitibus atris,
Noctua ceu liquidas raucis ululatibus auras
Personat & querulos effundit in æthera planctus:
Plangimus, assiduis & fletibus ora rigamus,

Et moestis latè resonat clamoribus æther;
Et nos pervigiles exsucca insomnia vexat,
Culmine ceu tecti viduatus compare Passer
Qui sedet, amissos & frustra luget amores.
Insultant miseris hostes, fastúque superbo
Obscæna indignis addunt convicia factis,
Impuræque sumus, sumus heu! ludibria Gentis
Turpia vesanæ patimúrque opprobria linguæ,
Et nostrum in diras, maledictáque tristia nomen
Usurpant, jurántque tuæ per damna Sionis.
Sternimur interea terrâ, pronique jacentes
Uolvimur, & lautis dapibus succedit amaror.
Et cinis immundus, panem pro polline pulvis
Temperat, & sterilis limosi glarea ruris,
Tristiáque appositis querimur jejunia mensis.
Pocula miscemus lacrumis spumantia, nostros
Inficit & potus oculis quæ defluit unda.
Nec juvat ulla quies miseros, nec meta malorum
Nobis ulla datur, luctus renovantur amari,
Infensum quia te nobis, Pater alme, videmus;
Et justæ in miseros causas expendimus iræ.
Pristina quum benefacta, quibus devincta tenetur
Terra Ebræa tibi, meminenti volvere mente
Contigit, & foeda ante oculos versatur imago
Afflicti, lapsíque status, solatia magni
Unica quæ luctus & quæ frænare dolorem
Debuerant, augent; summo de culmine honoris
Volvimur in præceps lapsu graviore ruentes.
Ceu variant umbræ dum se se tingere Phoebus
Oceano properat, sic nostri flore sub ipso
Præcipites abiere anni, mortísque senectus
Certæ certa comes nostris inopina tabernis
Adstitit, & veluti languet succisus aratro
Flos agri blandus, succóque arescit ademto,
Sic quoque languimus, vitæque exaruit humor.
At tu, perpetuis dum nectis sæcula sæclis,
Æ-

Æterno resides folio, te nulla senectæ
Tempora conficiunt, famam delere vetustas
Nulla tuam potis est, sacrúmque oblivio nomen
Nulla unquam capiet, tu nobis certa salutis
Ancora & accisis tu spes fidissima rebus.
Exurgens igitur placido, Pater optime, vultu
Aspice pacatus caræ juga cara Sionis,
Nam venit promissa dies & tempora pridem
Debita complerunt sanctorum oracula vatum
Hostilísque furor, sævæque injuria Gentis
Admonuit sacris pestem depellere tectis,
Ecce tui lapides mutilos & rudera servi
Tristia respiciunt oculo miserante, vicémque
Disjectæ moerent urbis, Templíque cadaver.
At nomen numénque tuum coeleste timebunt
Et tibi sacra ferent Gentes, quâ vertitur axis
Arcticus & Boreæ plaustro contraria Pistrix,
Et tua magnificos terrebit gloria Reges,
Moenia quum Solymæ sulco signata resurgent
Reficiétque tibi populus de marmore Templum,
Antiquósque aris, meritósque adolebit honores,
Et quas extorres lugubri voce querelas
Fudimus accipies, precibúsque movebere nostris.
Inscripta hæc tabulis, chartæ & commissa fideli
Posteritas leget, & laudum cumulabit honore,
Fama loquetur anus, serísque nepotibus olim
Magni transmittet monumenta perennia facti.
Omnipotens sancti summo quia vertice cæli
Constitit & nostris defixit lumina terris.
Vinctorum ut lacrumis clementem præbeat aurem
Addictósque neci servili compede lætos
Liberet, & mediis rapiat de faucibus Orci,
Ut sanctum sancto celebretur carmine nomen,
Vocibus & resonent lætis laquearia Templi,
Quod sacra excisum spectatur in arce Sionis,
Sanctarum & peragant Solymæ præconia laudum.

Tunc

Tunc quoque convenient populi quos lambit Hydaspes,
Hesperiúsque Tagus, quos aspicit ultima Thule,
Quósque fovet nigris Meroë fœcunda colonis.
Tunc quoque convenient Reges, & supplice cultu
Æterno Regum Regi sua munera pandent.
Nos licèt in stadii medio confregerit, atque
Frigeat effætum languenti in corpore robur;
Clauserit & spatio quamvis breviore dierum
Tempora nostrorum, & metam contraxerit ævi,
Clamamus tamen, & precibus miscemus acerbos
Questus, & lacrumis Dominum fatigamus obortis.
Ah! ne abrumpe, Pater, medio ne stamine vitam
Abrumpe, exorsos pertexant licia nexus,
Tu sine fine manes, Genitor; tibi janua leti
Præclusa; æternúmque tenes per sæcula nomen.
Ponderibus librata suis fundamina terræ
Pridem jacta tibi, stellantis regia cæli
Te patrem celebrat, celebrat te machina rerum,
Artificésque manus vocali carmine dicit.
Ollis interitûs posuisti tempora dudum,
Æterna interitus expers per sæcula durans.
Deterit annorum series & longa vetustas
Cætera; durities ferri, monumentáque Regum
Et s lidum marmor senio devicta fatiscunt.
Ut detrita novâ, mutantur pallia veste:
Imperio, Pater alme, tuo sic dædala mundi
Compages variam, variámque subinde figuram
Induit, atque hominum facies mutantur & ora.
Idem qui fueras nunc es, sempérque manebis,
Annis námque tuis metas, nec tempora quisquam
Imposuit, metas deinceps, nec tempora quisquam
Imponet demens, tu res hominúmque, Deûmque
Æterno regis imperio, nullísque teneris
Inclusus spatiis, præsenti numine terras
Oceanúmque imples, magníque palatia cæli.

Sic

Sic quoque servorum soboles præclara tuorum
Et caræ sobolis soboles & blanda propago,
Æterno tibi quam junxisti foedere quamvis
Externata malis, cælesti fulta favore
Et stabili & tutâ tandem statione recepta,
Æternos tecum lætissima transiget annos.
In sua Jesseides dederat quod tempora carmen
Veste sub Ausonia vobis mea Musa reponit.
O utinam lætum canerem Pæana Tonanti,
Flebilibúsque modis servata Ecclesia finem
Poneret exultans, diros & triste maneret
Hostes supplicium, nunc heu! nunc flebile carmen
Cuncta gravi poscunt penitus quassata ruinâ.
Olim tempus erit delectæ funera gentis
Ulcisci, & scelerum crudeles sumere poenas.
Et jam forte instat, promissæ & grata salutis
Hora venit; votis, votis attende tuorum
Tandem, Care Pater, nec deplorata Sionis
Vulnera destitue; auxilium moribunda requirit,
Auxilium præsens; oculos, mentémque levamus
Ad te qui superi Dominus radiantia cæli
Templa habitas, sine quo nil sese in luminis oras
Extollit, neque fit lætum, nec amabile quicquam,
Solus námque potes fidam componere pacem,
Armipoténsque regis belli fera munera solus.
Spémque merúmq; inter dubii, Pater opti e, nostris
Expectamus opem rebus, ne lubrica verset
Spes miseros ultra; lætus prospérque secundet
Exitus eventum, multato vindice poenâ,
O Genitor, populos cæcâ qui mente ruentes
In nomen, numénque tuum, te Patre relicto
Conceptum proprio venerantur pectore numen.
Nos verò media, duráque à morte reducti
Incolumes Dominum longa te laude canemus.

# CARMINIS SÆCULARIS IMITATIO

*De Geneva Liberata an.* CIↃ IↃCII *à Sabaudorum dolo, recitata anno* 1635.

MAchinæ rerum moderator alme,
Gentis humanæ pater atque custos,
Cui subest summi suberitque semper
Regia cæli;
Qui mari fines, vitreóque ponis
Terminum Ponto, rapidósque molli
Æquoris fluctus, fremitúsque raucos
Frangis arena;
Fascium defert decus atque regni
Ima cui tellus, superique montes
Eminenti sidereum prementes
Vertice cælum.
Nate supremi soboles Parentis,
Gloriæ splendor patriæ, character
Unice unius Patris, atque verè expressa
figura;
Cui datæ partes scelus expiandi,
Qui pias lætis animas reponis
Sedibus, morte atque Erebo redemtas
Sanguine fuso;
Qui sedes dextram Deus ad paternam
QuiPatrem nostris vitiis iniquum
Mitigas, patrocinio & fideli
Reddis amicum.
Fons aquæ vivæ, Patris atque Nati
Spiritus summi, Paraclete dulcis,
Mentium lux unica, certa nostræ
Arrha salutis;
Quo sine æternâ jaceant sepulti
Nocte mortales, oculósque dirus
Urgeat cæcos sopor & pudenda

Mor-

Mortis imago;
Qui simul nostri irradias recessus
Pectoris, tristes fugiunt tenebræ,
Dæmones torvi fugiunt, fugit mors
Cuspide fractâ.
Vos adorandæ Triadis beatæ
Quæso Personæ, simul, ô colendæ
Semper & cultæ, date quæ precamur
Tempore sacro.
Non Sibyllini monuere versus,
Codicis sacri pia sed statuta
Nos Deo illi, cui placuit Genevæ,
Dicere laudes.
Ecce nunc denos decies per annos
Clara lux Evangelii Genevam,
Solis instar flammiferi, decorat
Nocte fugatâ.
Nunc tibi grates, Pater alme, grates
Debitas persolvere quis recuset?
Quis tuas nostrûm neget ore pleno
Dicere laudes?
Vos quibus legum patriæ ad salutem
Cælitum Rector moderari habenas
Nunc dedit, summi Patris ore pleno
Dicite laudes.
Vos quibus mysteria dia legis
Tradidit Christus, quibus & docendi
Jus datum, summi Patris ore pleno
Dicite carmen.
Vos quoque adstantis populi corona,
Et quibus cautis dedit esse cana
Sed virens vivaxque senecta, Christi
Dicite laudes.
Et quibus robur validum viriles
Conferunt anni, quibus & juventa
Addit audaces animos, perennes

Dicite laudes
Vos & impubis puerûm caterva
Et rudes anni, Domino sacrate
Quicquid est vestrûm, Dominique estri
Dicite laudes.
Ille lucem post tenebras reduxit,
Aureum Solisque jubar perenne,
Ille Christum nosse dedit, repente
Cedere jussâ
Impiâ caligine, tristibúsque
Manium umbris, carceris & refregit
Vincula infausti, asseritque ereptos
Faucibus Orci.
Ilicet Ditis fremuere regna,
Urbis & Romæ fremuere turres
Pontifex sævit, rugiit leonum
Turba cruenta.
Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etrusco violenter undis,
Ire dejectum monumenta Regis
Templáque Christi.
Illa sed nullo impete diruentur,
Inferûm nunquam ostia prævalebunt,
Stante sed contra Babylon Sione
Victa labascet.
Nam Deus curâ vigili tuetur
Pauperum turbam tenuem suorum,
Hostium casses lacerans dolosos
Vindice dextra.
Nec procul quærenda salutis olim
Præstitæ exempla, auxilii paterni
Aureum exemplum sumus atque in omne
Nobile sæclum.
Lustra jam sex præteriere & alter
(Qui Dei summus favor est Parentis)
Ecce decurrit properante cursu

Lu-

Lubricus annus.
Qualis impastus leo fertur irâ
In gregem, sic nos truculentus hostis
Viribus fretus stolidis adortus
Pæne vo ravit.
Mœnibus scalas posuítque nostris
Nocte brumali scelerata turba,
Sanguinis nostri sitiens, sopitos
Perdere tentans.
Usque sed custos vigil excubabat
Nec mittebat Pater ille summi
Ætheris, victa illecebris soporis
Lumina blanda,
Impios risit populi procacis
Impetus & quos fera destinarat
Hostium cædi rabies, sepulchri
Fauce redemit.
Hostium vanos Deus apparatus
Fregit, infidum inque caput revolvit
Impias fraudes, propriæque trivit
Mole ruinæ.
Fraudis auctores scelerúmque talis
Exitus semper maneat precamur,
Et luant pœnas meritas ab ima
Stirpe recisi.
Sic tuus semper pereat Geneva
Hostis, ultorísque Dei furorem
Sentiat quisquis tibi pertinaci
Imminet ira.
Corruant altæ Babylonis arces
Funditus, septem geminíque colles
Flammeis instar cadat & Sodomæ
Roma procellis.
Nos tuæ sortis populum benignus
Aspice, & nostrum miserans laborem
Debiles fractásque, Pater, fideli

Pro-

Protege dextra.
Fac tui semper memori statuta
Mente servemus pia legis, atque
Sanctius possint nihil urbe nostra
Visere Gentes.
Rite maturos aperito partus,
Conjuges prolem numero carentem
Proferant, campo veluti fetaci
Gramina surgunt
Rursus ut denos decies per annos
Huc scholæ nostræ redeat corona,
Et tuas laudes canat & beatum
Nomen adoret
Quod semel dictum est, stabilisque rerum
Terminus servat, tibi supplicantum
Annuas votis, bona jam peractis
Jungito sæcla.
Fertilem frugum, pecorisque nobis
Redde tellurem, sitientis imbre
Macera sulcos, vegetánsque cælo
Depluat humor.
Ludat herboso pecus omne campo,
Nutriant foetus & aquæ & salubres
Cælitus, auræ, procul omnis esto
Morbus & horror.
Si Geneva olim manuum tuarum
Est opus, cæli Pater atque rector,
Si colit verè tibi dedicatæ
Templa Sionis,
Da probos mores docili juventæ,
Da senectuti placidæ quietem,
Civibus cunctis dato rémque prolem
que, Et decus omne.
Fac fides vera & pietas pudórque
Priscus, & neglecta virente virtus
Floreat cultu, redeátque pleno

Copia

Copia cornu
Christus æterni soboles Parentis.
Si Genevensem videt æquus urbem
Alterum in lustrum, meliúsque semper
Proroget illam:
Quique cælestes regit æquus axes
Et piis clemens precibus virorum,
Blandus & votis puerorum amicas,
Applicet aures.
Hæc Deum sentire, Patrémque nostrum
Spem bonam certámque domum reporto,
Doctus & Gnati simul & Parentis
Dicere laudes.

---

## ELEGIA

*In* PAULINÆ CLERICÆ *obitum quæ vixit annos IV. dies XVI. obiit 13 Junii* ɔIↄIↄcX.

DElicitæ Paulina meæ, Paulina pientis
Deliciæ matris, deliciæque patris:
Unius impleras nondum quinquennia lustri,
Occidis & parvâ contumularis humo.
Non ego, me miserum! potui morientis ocellos
Claudere, nec lacrimis oscula mista dare.
Triste nec absenti licuit deducere funus,
Nec proferre mihi verba suprema datum.
Námque Palatinas ubi Neccarus alluit arces
Me tenet à patria terra remota nimis.
Mens tamen officio non defuit, invia quippe,
Dissita vel longè quæ superare solet.
Cor penetrans frigus, lacrimæque per ora volutæ
Maxima moeroris signa dedere mei.
Nubila tunc facies Phoebo (sensisse putares)
Auribus ut cepi nuntia prima meis.
Omnia naturæ contraria legibus ite,
Jam mihi jam rerum displicet iste tenor,

Quódque

Quodque prius gratum tenui de gutture murmur
  Edebat deflens Daulias ales Ityn,
Nunc mihi posterius raucis in funere bubo
  Edere ferali quos solet ore sonis.
Nunc ego refugio, tetri Timonis ad instar,
  Congressus hominum qui placuere priùs.
Antra remota placent, trabibus sylvæque frequentes,
  Arrident misero devia sola mihi.
Abstulit illa suo interitu nam gaudia nostra
  Et secum moriens commoda nostra tulit.
Ast ego quid demens, temero quid fletibus ora?
  Quid mœstæ feriunt pectora nuda manus?
Fallor? an & superant ægræ solatia menti?
  Sed superant; nec nos obruet iste dolor.
Gaudia nostra quidem dum terras deserit aufert,
  Sic requiem peperit attamen illa sibi.
Nec periit, nam parte sui meliore superstes
  Vivit & ad cœlos nunc quoque carpit iter.
Insontes animæ, cælo pia turba recepta
  Queis vita in terris non diuturna fuit;
Accipite hanc animam, nos immatura relinquit,
  Vobiscum in magno vivat ut illa polo.
At tibi qui transis, ne sit grave, lilia parvis
  Manibus & violas spargere purpureas.
Conditur hoc infans mœsto Paulina sepulchro,
  Quam vix vernantem tristis adussit hyems.

## ELEGIA
### AD RAMSPECKIUM

ITe leves Elegi quò me properare decebat,
  Nec pigeat Domini sustinuisse vices.
O mihi si priscis starent compagibus artus,
  Et suus in pedibus poplitibúsque vigor!
Nunc non esset opus curarum interprete chartâ,
  Hoc ego sed potiùs fungerer officio.

Nam

Nam meliùs nulli, si quid me judice certum est,
  Paretur quàm cui quod jubet ipse facit.
Ite leves Elegi, nec vos res ulla moretur;
  Non est longa nimis conficienda via.
Est adeunda prior vobis hinc Curia, verso
  Tramite, mox aperit longa platea viam,
Solis ad Occasum quà se demittere clivus
  Incipit, hic vestri meta laboris erit.
Hac regione habitat rerum tutela mearum
  Ille mihi sanctâ junctus amicitiâ.
Quem vere augustum augusto de nomine, nemo est
  Ignotum sibi qui dicere jure queat.
Heic solita vobis ædes bonitate patebunt,
  Nec procul arcebit triste supercilium.
Dicite: Nos illam jussit tibi ferre salutem
  Clericus, assiduè qua tamen ipse caret
Nunc quid agit meus ille meus Ramspeckius, inquit,
  An valet? anne aurâ vescitur ætheriâ?
Nunc ubinam latet ille? quibus nunc abditus oris
  Se tenet? atque oculis subtrahit usque meis?
Forsitam obruitur prægrandi mole laborum,
  Cura animum partes in variásque rapit.
Sepositis pro riis aliena negotia sæpe
  Exequitur, ne quà desit amicitiæ.
Sæpe etiam tetricæ totum dat se ille Minervæ,
  Noctibus atque dies continuare solet.
Seu recolit veterum Psephismata prisca Sophorum
  Aut Stagiritæ quos schola dia tulit,
Aut quos umbriferis gaudens Academia sylvis
  Quos Stoa, quos horti, docte Epicure, tui.
Seu juvat Annales interdum volvere priscos,
  Sive novas mavult ire per historias.
Sive illum capiunt Leges, quas legerat olim
  In castris miles Papiniane tuis,
Regum rescripta & juris veterum responsa peritûm
  Nodos apta nimis solvere difficiles.

Sive

Sive Deo plenum cæli penetralia templa
  Quærentem in terris pagina sacra tenet,
Atque ibi sanctorum meditatur carmina vatum,
  Afflatu tenuit quos propiore Deus,
Arcanúmque sacro nobis quod protulit ore
  Expressa æterni Christus imago Patris.
Fors aliam sumit tam longa absentia causam,
  Quæritur & nobis heu! ubi nulla subest:
Forte gravi implicitum morbo vis ægra doloris
  Impedit, & solitum munus obire vetat.
Istud sed quianam ad nostras non detulit aues
  Quæ nunquam in mœstis parcere fama solet;
Fors quoque nos meritam absentis contraximus iram,
  Solvimus & primi vincula amicitiæ.
In caput hoc recidat, si sum mihi conscius ipse
  Ullius culpæ, vindicis ira Dei
Sed quî istæc, quæris, pronæ suspectio menti
  Incidit? Est semper suspitiosus amor.
Omnia vel leviter mentem subeuntia, caussas
  Tam longùm absentis suspicor esse tui.
Te tamen, ut multùm lateas audítque, vidétque
  Absens absentem Clericus ille tuus.
Mox velut evigilans, post longa insomnia mentem
  Quum Morpheus vanis lusit imaginibus,
Te nunc ille oculis passim, te voce requirit,
  Forte sub pectus si detur ire tuum.
Sed cadit incassum labor omnis, & irrita in auras
  Omnia quæ fudit vota tulere Noti.
Nec quicquam superest nisi cæca ut tabe liquescat,
  Dum desideriis effluit ille tuis.
Vulneris auxilium ni mox, solúmque levamen
  Ipsa quod infixit Pelias hasta ferat.
Redde igitur caros conspectus, redde sodali
  Sidereos vultus, sidereúmque jubar.
Gratior Eoo surgit sol cardine, lucem
  Quando oculis nubes eripuere diu.

Sed

# EPITHALAMIUM

*Nicolao Heinsio & Salomæ Lingelshemiæ dictum*

EQuos Oceano Deus
Tinxit sidereus suos,
Cæli jam dabit astricas
Nox videre choreas.
Quin castis properas, Hymen,
Vitam reddere amantibus?
Quid moraris, Hymen? ades
Hymen, ô Hymenæe.
Vitam scilicet Orphici
Chironem tibi pristinam
Ferunt restituisse; tu
Redde amantibus illam.
Salome redeas novi
Sponsa conjugis in manus:
Sat nunc in viduâ domo
Luctûs signa habuisti.
Viden' sponse tenellulam
Nympham accedere? quin rapis
Speratam? trahe ne moras,
Post occasio calva est.
Non est par tibi filia
Ledæ, non Helenæ tibi est
Mater æquiparabilis,
O formosa Salome.
Sub arma illa Phrygas duces,
Et Grajos quoque compulit;
Cygni compulit at Jovem
Hæc latere sub alis.

Formæ neutra tamen poteſt
  Se componere tam bonæ:
  Frons & pectora ſunt tibi
  Lacte candidiora,
Lacte, ſed ſaturæ capræ
  Quod ponunt; nive colla habes
  Nullo marcida quæ jacet
  Sole, candidiora.
Ferro dura gerit mage
  Corda, non tetigere quem
  Et tam purpureæ genæ,
  Et cæleſtis imago.
Sponſo labra corallina
  Tuo porrige, baſia
  Præbe mitia, ſanguinem,
  Sponſa, quæ tibi ſugant.
At marite, ita me juvent
  Cælites, tibi proſpera
  Affulget Venus, & bonâ
  Uxorem alite ducis.
O Heinſi Batavûm decus,
  Marti fulmine dexteræ
  Par, qui Pieridum clues
  Princeps inter alumnos.
Te Mars, te quoque Cynthius,
  Te Muſæ redamant novem,
  Te urbis Mopſopiæ Dea
  Arte inſtruxit utráque.
Ut propagine vitium
  Arborem agricola implicat,
  Implicarier in ſinum
  Sic te oportet amatæ.
Curſum poſtquam iteraverit
  Menſtruum decies Dea,
  Sponſa te faciet tua
  Pulchrâ prole parentem.

Par-

Parvus ante pedes tibi
Ludet Heinsiolus, suæ
Et pudicitiam omnibus
Matris referet ore.
Lusimus satis, O boni
Compares, bene vivite.
Ambo, ô ut iam Deus
Sospites ope sanctâ!

# EPITHALAMIUM

*Joanni Buxtorfio dictum.*

Ergone Buxtorfi certo puer improbus ictu
Pectora transfixit? flammæque, ignesque medullas
Corripuere? jugumque tuum, Cypris alma, subivit?
Nec casses formosa tuos vitare, nec artes
Edoctus, teneri prædam cumulavit amoris!
Quid miraris, ait ridens Erycina, quis unquam
Tela, facésque mei volucris sensisse negavit?
Ille modò in terris audax, modò fertur in undis,
Et modò pernici defertur in astra volatu.
Non homines, non ille Deos reveretur, & ipsam
Me quoque non timuit dirâ temerare sagittâ.
Alciden quoque vicit amor, quem dura noverca
Vincere non potuit, quem non Stheneleius hostis,
Imbellis superavit amor. Calydonide Nympha
Incaluisse olim truncato Achelous honore
Corrigeri sensit capitis, frontísque recurvæ:
Nonne puella virum deducere fila coëgit
Jardanis & fusum digitis versare, leonis
Tegmine nudatum, claváque & fortibus armis?
Egeriæ tepuisse Numam quis nesciat igni?
Vidimus & torvum submittere colla Catonem

Dicage, dic, animus modò fert si vera fateri,
Túne pharetrati vitare Cupidinis ictus,
Tun' parmam pueri potuisti obtendere telo?
Non parvis, levibúsque meus Buxtorfius ardet
Ignibus, haud tenuem concepit pectore flammam.
Hoste sub invicto cecidit, non ille pudendis
Victus vulneribus sub signo pugnat Amoris.
Hunc, Helene, tua forma capit, tua dulcis imago,
Et decor, & niveæ divina modestia frontis.
Rure Therapnæo cedit tibi nata puella
Et formæ decus, & nomen: superata nec audit
Judicium jactare Phrygis, concordia formæ
Atque pudicitiæ, tibi dat sine judice palmam.
Argolicis si te vidisset Phœbus in agris
Laurea nunc esses, gelidis Alpheus in undis
Brachia jactantem si te spectasset, amœnas
Quæreret amnis aquas & amati murmura fontis.
Hæc postquam ambrosio Cytherea est ore loquuta,
Incessúsque Deam fluxu est confessa, recessit.
Et mihi, Buxtorfi, coepit tua caussa probari.
Macte hymenæo, tædis macte jugalibus esto,
O animi pars cara mei, prædulce Camoenæ
Præsidiúmque, decúsque meæ, qui carminis auctor
Es mihi, sopitique citas modulamina plectri
Astra tibi Sponsam optanti, Sponsam astra dedere,
Damnaris voti, amplexu satiare potito
Conjugis, & niveos artus constringe puellæ,
Usque columbatim luctanti dulcia Nymphæ
Oscula Buxtorfi ingemina, nec veste latentem
Solvere te pigeat Zonam, tu Nympha marito
Ne luctare nimis, remoretur nec tua castus
Vota pudor; parvúsque novem Buxtorfius actis
Mensibus exerto pendebit ab ubere matris,
Dulcéque maternam ridebit, dulce paternam
Ad vocem, curásque Patris, curásque seniles
Solvet avi; dotes crescent crescentibus annis.

Tu

Tu Patre dignus eris, tu nomine dignus avito,
Care puer, vatem nec me præsagia fallent.
At vos connubio stabili quos sidera jungunt
Vivite felices, felices vivite, rixa
Nulla torum maculet, dulci concordia ferte
Fræna jugo & longos vegeti durate per annos.

---

# EPIGRAMMATA.

*Bibere* 1.

Quum Cælum, tellusque bibant, bibat omne quod (orbis
Continet, ô socii, nonne perinde bibam?

*Judex Iniquus* 2.

Musca Elephas, Elephas musca est sub Judice iniquo
Cui crimen jocus est, crimen ut ipse jocus.

*In Satyrum* 3.

Quæris ab impuro Satyrus quid distet Iūda?
Hic Dominum, fratrem prodidit ille suum.

*In Scarabæum* 4.

Quis, Scarabæe, tibi os tetrum putere negarit,
Cujus sima naris stercora semper olet?

*Domus sacris assignata.* 5.

Assignata sacris corvos deludis hiantes,
Parva domus corvis præda petita sacris.

*In Corvum* 6.

Palladis est ales, promittit quæ tibi certam
Omine veridico noctua Corve crucem.

*In Bumasthum* 7.

Te Bumasthe boves, potiùs quam dicere jura,
Armatum stimulo pungere præstiterat.
Quippe tuis vicina dedit majoribus ortum
Vernia, vernili nobilitate potens.

*In Vicinum.* 8.

Vicinum frustra es tumulo qui condere quæris

Quippe sibi vivo qui fuerit tumulus.

*In Juliam adulteram* 9.

Julia calcato socialis fœdere lecti,
Dum fugit irati tela, minásque viri,
Et per ponticulum male fultum ac subsulitantem
Fert iter, in medias præcipitatur aquas.
Multivagi haud meliùs tola potuere calores,
Hæc est incestæ sola medela facis.

*In Titium & Marcum fures.* 10

Centenos Titius nummos furatur, & inde
Effractâ laqueo plectitur ille gulâ.
Millenos decies furatur Marcus, & inde
Sydera sublimi vertice summa ferit.
Unde hoc discrimen, tu si quæsiveris: Ille
Nondum furatus quod sàtis esset erat.

*Archiæ in quatuor ludos ex Græco.* 14.

Grajugenę celebrant quatuor certamina, quorum
Sunt duo sacra diis, sunt duo sacra viris.
Illa Jovi & Phœbo, Portumno hæc Archemoróque,
Præmia sunt oleæ, poma, apium, picea,

*In domum incustoditam iocus, è Græco.* 12

Ite domos alias, & prædam quærite fures,
Hanc bene custodit nam sua pauperies.

*Diotimi in Herculem & Antæum è Græco.* 13

Neptuni atque Jovis soboles luctasse feruntur,
Inque vicem vires exeruisse suas:
Nec luctæ pretium Temesæo ex ære lebetes,
Sola sed alterutri vitáve, morsve fuit.
Antæus cecidit, decuit Jove vincere natum,
Lucta Argis nata est, non Libyæ in sabulis.

*In statuam Veneris.* 14

Quis Saxo huic animam? in terris quis Cyprida vidit
Atque petræ tantum quis dedit inlicium?
Praxiteles credo: nisi forte reliquit Olympum,
Ut Cnidum interea viseret alma Venus.

*Aliud,* 15

Quum

Quum Cnidi Cypris vidisset Cyprida, dixit,
Intuitus nudam est nuncubi Praxiteles?

*Aliud.* 16

Conspexit nudam Venerem vel nemo, vel ille
Hic nudæ statuam qui statuit Veneris.

*In Niobes statuam.* 17

E viva Saxum superi fecere, sed arte
Praxitelis Saxo reddita vita sua est.

*In Naufragum, è Græco.* 18

Cujus sim tumulus tu noli inquirere, Nauta,
Sit tibi turbato mitior unda salo.

*In Mediocritatem.* 19.

Intempestivum est NIMIUM, ut proverbia dicunt
In fel mutatur, sic quoque Mel Nimium.

*Demodoci.* 20.

Vipera Cappadocem mala sorte momordit, at illa
Gustato periit sanguine pestifero.

*Ammiani.* 21.

Hic matrem, ille patrem, fratrem sed & ille peremit,
Hos tres Pollianus primus ab Oedipode.

*In fortunam.* 22.

Jam portum teneo, spes & fortuna valete,
Quid mihi vobiscum? ludite nunc alios.

*Agathiæ Scholastici.* 23.

Vir tuus Anchises, quem tu Cytherea solebas
Idæis quondam visere sæpe jugis,
Canitie totus premitur primique nigrantes
Ille tibi posuit temporis exuvias.
Sed Dea, námque potes, primam vel redde juventam,
Vel canus placeat, qui placuit juvenis.

*Leonidæ Tarentini.* 24.

Emensa immensum Pelagus, consumor ab igni
Pro me illic fuerat cæsa ubi materies:
Me mare servavit, tellus me perdidit, illa
Quæ mè protulerat sic mihi fida minus.

*Ecclesia.* 25.

De latere Adami conjux ceu prodiit, & quum
Surgeret; ante oculos constitit illa viri:
De latere haud aliter transfixo Ecclesia prodit
Morte resurgentis sic quoque, Christe, tui.

*Onus.* 26.

Injusto sub fasce viam si carpseris, & tu
Ad Christum fugias, ille levabit onus.

*Vivere* 27

Vivo ego: quid dicó me vivere? Non ego certè,
In me sed Christus vivit, agitque meus.
Nunc ego quod vivo, vita est quam vivere donat
In se credenti filius ipse Dei,
Æterno qui me miserum complexus amore est,
Séque neci pro me tradidit immeritæ

*Peccata* 28.

Quam minùs immemorem tua te peccata remordent,
Plura sub immenso fasce latere puta.

*Viator* 29.

Infima præ summis prudens sectare Viator,
Ex alto casu nam graviore rues,

*Lex Mortis, Judicium* 30

Imposita est pariter lethi lex omnibus, & nos
Post mortem justi judicis urna manet.

*Ad Jesum* * 31.

Te spectem suprema mihi quum venerit hora,
Te teneam, Jesu, deficiente animo.

*Lucrum* 32.

Seu maneam in terris, & sit mihi vita superstes,
Seu moriar, solus tu mihi Christe lucrum.

*Deus pro nobis* 33.

Ecquis in adversos ferat arma inimica, Deorum
Si Deus in nostris militat auxiliis?

*Durities* 34.

* Est Parodia Tibulliani distichi Eleg. 1, in quo est *ἀντὶ τοῦ Jesu moriens*

Duri-

Duritiem Israëlis homo miraris, at ô si
Defæcato oculo tu te ipsum inspiceres!

*Providentia.* 35

Res regit humanas Domini providentia, quódque
Esse putas pœnam fit medicina tibi.

*Mori.* 37

Si moriendum homini nemo est qui nesciat, unde
Se moriturum etiam, dic mihi, nemo putat?

*Se committere Deo.* 38

Te totum committe Deo, contingere damni
Quam libet ignores, nil sinet ille tibi.

*Tollere.* 39

Tollat opes Deus, & vitam quoque, tollat honores,
Dummodo se nunquam subtrahat ille mihi.

*Arca Noachi.* 41

Insanis mage quo jactatur fluctibus arca,
Hoc propiùs cælos astráque summa petit.
Sic pia mens agitata malis, quo grandior æstus
Sævit, & in miseram quo furit unda magis,
Hoc magis ad Dominum fertur tellure relictâ
Inque Deo propius, spémque fidémque locat

*Aurea Pocula.* 42

Delitiis peccata tegit Cacodæmonis astus,
Aurea, crede mihi, pocula virus habent.

*In Pontificem Romanum.* 43

Servum servorum se dicit Papa, nec errat
Dæmonis est etenim servus, & ille Dei

*In Eundem.* 44

Petro se dicit succedere Papa, nec errat
Petro succedit dum negat ille Deum.

*Peccatorum primus,* 45

Si Peccatorum primum te, Paule, vocasti,
Dicere quem poteris, Clerice, te miserum?

*Corona spinea.* 46

Ante triumphantis quam tu potirere coronâ,

In

Nec Genitor genito prior est, sic Filius ipse
Æterno æternus nec Patre posterior.
Sanctus ab æterno æternùm procedit utróque,
Ut Patris & Nati Spiritus unigenæ.

*Una Caro.* 58

Unam constituit cum Christo Ecclesia carnem,
Qui corpus lædit, lædit & ille caput

*Nec ruga, nec macula.* 59

Quum macula Sponsum nunquam maculaverit ulla,
Conveniens Sponso Sponsa sit ipsa suo.

*Dives.* 60

Nequaquam est dives fruitur qui divite censu,
Cujus & immensas arca flagellat opes.
Sed cujus mens plena Deo, qui pauperis æquè
Atque sui curam nocte diéque gerit.

*Sejunctos conjungere.* 61

Corpore sejunctos animo conjungit amoris
Copula sinceri, nec temerata fides.

*Lucerna sine Oleo.* 62

Quid sunt divitiæ quas non commendat egenis
Stips collata? Oleo nonne lucerna carens?

*Lucerna fœtens.* 63

Ut solet extincto lino foetere lucerna,
Est exstinctus amor sic ubi, divitiæ.

*Labor sine precibus.* 64

Quid tute excrucias? operam quid sumis inanem;
Absque prece incassum recidit usque labor.

*Preces ignavæ.* 65

Eia age, quid cessas? Dominum quid voce fatigas
Ignavâ? Ignavas respuit ille preces.

*Vera Scientia.* 66

Nomine sola suo verè illa scientia digna est,
Conscia mens recti cui comes ire solet.

*Conscientia.* 67

Quæritur à multis, petitùrque scientia ubique,
A paucis sed mens conscia justitiæ.

Sur-

Arca lucrum, damnum conſcia mens patitur.

*Lucrum injuſtum.* 77

Duceris injuſti quiſquis dulcedine lucri,
Expecta damni poſtmodo juſtitiam.

*Tegere peccata.* 78

Inflixit tibi quæ peccatum vulnera, ſi tu
Texeris, iratus deteget illa Deus.
Putria ſed ſi tu detexeris ulcera, ſupplex,
Placatus medicâ mox teget ille manu.
Agnoſce ignoſcet, pudeat peccaſſe, remiſſa
Pars erit offenſæ ſic bene magna tuæ.
Tam placet ipſa Deo nam mens verecunda fatentis,
Quam peccatoris diſplicet effugium.

*Memoria Crucifixi.* 79

Ille Cruci indubiè affiget peccata, recondit
Mente crucem memori qui, Crucifixe, tuam.

*Paſtoris lucrum.* 80

Ne, Paſtor, ſectare lucrum, verè ille lucratur
Qui didicit Chriſto poſſe lucrari hominem.

*Mori quotidie.* 81

Quotidie moritor, mortémque in morte repelle,
In Domino dabitur vivere námque tibi.

*Veteris Adami mors.* 82

In me peccatum, vetus & moriatur Adamus
In me ut, quum moriar, vivere, Chriſte, queas.

*Bene vivere.* 83

Quàm moriare priùs, benè quid ſit vivere diſce,
Vitam namque bonam mors bona conſequitur.

*Credi falſo.* 84

Crederis eſſe pius: quod non es, crederis eſſe,
Te duplici icc irco nomine crede reum.

*Pietas ſimulata.* 85

Vt videare pius ne tantùm quære; ſed eſto;
Nam pietas proderit nil ſimulata tibi.

*Poſt lapſum reſurgere.* 86

Cum Davide cadis? quin cum Davide reſurgis?

Sur-

Surgere qui non vult quum cadit, ille perit.

*Sapientis emendare peccatum.* 87

Nil peccare Dei est, hominis peccare: sed ille
Qui sapit emendat, quod meminisse pudet.

*Bene conscius.* 88

Si bene conscius es, non te convitia lædunt,
Si malè, non te laus ulla juvare potest.

*Conscientia testis.* 89

Conscia mens ut cuique sua est, in pectore testem
Sic in utrúmque gerit nocte diéque suum.

*Peccata non latent.* 90

Posse latere, reus ne spera, in pectore culpæ
Namque tuæ testem nocte diéque geris.

*Conscientia falli nequit.* 91

Conscia mens recti famâ præstantior omni est,
Illa nequit falli, fama secunda potest.

*Dæmon.* 92.

Non cogendo potest tibi, sed suadendo nocere
Dæmon, nolito credere tutus eris

*Æger.* 93.

Ecce tuis ægrum in manibus me, Christe, jacentem
Ure, seca, vitiis liber ut esse queam.

*Cœlum venael.* 94.

Cælum venale est, pretium si forte requiris,
Quòd mireris, aquæ dicitur esse scyphus.

POEMATUM

DAVIDIS CLERICI

FINIS.

STEPHANI CLERICI

# QUÆSTIONES

ACADEMICÆ

Dicage, dic, animus modò fert si vera fateri,
Túne pharetrati vitare Cupidinis ictus,
Tun' parmam pueri potuisti obtendere telo?
Non parvis, levibúsque meus Buxtorfius ardet
Ignibus, haud tenuem concepit pectore flammam.
Hoste sub invicto cecidit, non ille pudendis
Victus vulneribus sub signo pugnat Amoris.
Hunc, Helene, tua forma capit, tua dulcis imago,
Et decor, & niveæ divina modestia frontis.
Rure Therapnæo cedit tibi nata puella
Et formæ decus, & nomen: superata nec audit
Judicium jactare Phrygis, concordia formæ
Atque pudicitiæ, tibi dat sine judice palmam.
Argolicis si te vidisset Phœbus in agris
Laurea nunc esses, gelidis Alpheus in undis
Brachia jactantem si te spectasset, amœnas
Quæreret amnis aquas & amati murmura fontis.
Hæc postquam ambrosio Cytherea est ore loquuta,
Incessúsque Deam fluxu est confessa, recessit.
Et mihi, Buxtorfi, coepit tua caussa probari.
Macte hymenæo, tædis macte jugalibus esto,
O animi pars cara mei, prædulce Camoenæ
Præsidiúmque, decúsque meæ, qui carminis auctor
Es mihi, sopitique citas modulamina plectri
Astra tibi Sponsam optanti, Sponsam astra dedere,
Damnaris voti, amplexu satiare potito
Conjugis, & niveos artus constringe puellæ,
Usque columbatim luctanti dulcia Nymphæ
Oscula Buxtorfi ingemina, nec veste latentem
Solvere te pigeat Zonam, tu Nympha marito
Ne luctare nimis, remoretur nec tua castus
Vota pudor; parvúsque novem Buxtorfius actis
Mensibus exerto pendebit ab ubere matris,
Dulcéque maternam ridebit, dulce paternam
Ad vocem, curásque Patris, curásque seniles
Solvet avi; dotes crescent crescentibus annis.

Tu Patre dignus eris, tu nomine dignus avito,
Care puer, vatem nec me præsagia fallent.
At vos connubio stabili quos sidera jungunt
Vivite felices, felices vivite, rixa
Nulla torum maculet, dulci concordia ferte
Fræna jugo & longos vegeti durate per annos.

---

# EPIGRAMMATA.

*Bibere* 1.

Quum Cælum, tellusque bibant, bibat omne quod (orbis
Continet, ô socii, nonne perinde bibam?

*Judex Iniquus* 2.

Musca Elephas, Elephas musca est sub Judice iniquo
Cui crimen jocus est, crimen ut ipse jocus.

*In Satyrum* 3.

Quæris ab impuro Satyrus quid distet Iüda?
Hic Dominum, fratrem prodidit ille suum.

*In Scarabæum* 4.

Quis, Scarabæe, tibi os tetrum putere negarit,
Cujus fima naris stercora semper olet?

*Domus sacris assignata.* 5.

Assignata sacris corvos deludis hiantes,
Parva domus corvis præda petita sacris.

*In Corvum* 6.

Palladis est ales, promittit quæ tibi certam
Omine veridico noctua Corve crucem.

*In Bumasthum* 7.

Te Bumasthe boves, potiùs quam dicere jura,
Armatum stimulo pungere præstiterat.
Quippe tuis vicina dedit majoribus ortum
Vernia, vernili nobilitate potens.

*In Vicinum.* 8.

Vicinum frustra es tumulo qui condere quæris

Quippe sibi vivo qui fuerit tumulus.

*In Juliam adulteram* 9.

Julia calcato socialis fœdere lecti,
Dum fugit irati tela, minásque viri,
Et per ponticulum male fultum ac subsulitantem
Fert iter, in medias præcipitatur aquas.
Multivagi haud meliùs tola potuere calores,
Hæc est incestæ sola medela facis.

*In Titium & Marcum fures.* 10

Centenos Titius nummos furatur, & inde
Effractâ laqueo plectitur ille gulâ.
Millenos decies furatur Marcus, & inde
Sydera sublimi vertice summa ferit.
Unde hoc discrimen, tu si quæsiveris: Ille
Nondum furatus quod sàtis esset erat.

*Archiæ in quatuor ludos ex Græco.* 14.

Grajugenę celebrant quatuor certamina, quorum
Sunt duo sacra diis, sunt duo sacra viris.
Illa Jovi & Phæbo, Portumno hæc Archemoróque,
Præmia sunt oleæ, poma, apium, picea,

*In domum incustoditam iocus, è Græco.* 12

Ite domos alias, & prædam quærite fures,
Hanc bene custodit nam sua pauperies.

*Diotimi in Herculem & Antæum è Græco.* 13

Neptuni atque Jovis soboles luctasse feruntur,
Inque vicem vires exeruisse suas:
Nec luctæ pretium Temesæo ex ære lebetes,
Sola sed alterutri vitáve, morsve fuit.
Antæus cecidit, decuit Jove vincere natum,
Lucta Argis nata est, non Libyæ in sabulis.

*In statuam Veneris.* 14

Quis Saxo huic animam? in terris quis Cyprida vidit
Atque petræ tantum quis dedit inlicium?
Praxiteles credo: nisi forte reliquit Olympum,
Ut Cnidum interea viseret alma Venus.

*Aliud,* 15

Quum

Quum Cnidi Cypris vidiſſet Cyprida, dixit,
Intuitus nudam eſt nuncubi Praxiteles?

*Aliud.* 16

Conſpexit nudam Venerem vel nemo, vel ille
Hic nudæ ſtatuam qui ſtatuit Veneris.

*In Niobes ſtatuam.* 17

E viva Saxum ſuperi fecere, ſed arte
Praxitelis Saxo reddita vita ſua eſt.

*In Naufragum, è Græco.* 18

Cujus ſim tumulus tu noli inquirere, Nauta,
Sit tibi turbato mitior unda ſalo.

*In Mediocritatem.* 19.

Intempeſtivum eſt NIMIUM, ut proverbia dicunt
In fel mutatur, ſic quoque Mel Nimium.

*Demodoci.* 20.

Vipera Cappadocem mala forte momordit, at illa
Guſtato periit ſanguine peſtifero.

*Ammiani.* 21.

Hic matrem, ille patrem, fratrem ſed & ille peremit,
Hos tres Pollianus primus ab Oedipode.

*In fortunam.* 22.

Jam portum teneo, ſpes & fortuna valete,
Quid mihi vobiſcum? ludite nunc alios.

*Agathiæ Scholaſtici.* 23.

Vir tuus Anchiſes, quem tu Cytherea ſolebas
Idæis quondam viſere ſæpe jugis,
Canitie totus premitur primique nigrantes
Ille tibi poſuit temporis exuvias.
Sed Dea, námque potes, primam vel redde juventam,
Vel canus placeat, qui placuit juvenis.

*Leonidæ Tarentini.* 24.

Emenſa immenſum Pelagus, conſumor ab igni
Pro me illic fuerat cæſa ubi materies:
Me mare ſervavit, tellus me perdidit, illa
Quæ me protulerat ſic mihi fida minus.

*Eccleſia.* 25.

De latere Adami conjux ceu prodiit, & quum
  Surgeret; ante oculos constitit illa viri:
De latere haud aliter transfixo Ecclesia prodit
  Morte resurgentis sic quoque, Christe, tui.

*Onus.* 26.

Injusto sub fasce viam si carpseris, & tu
  Ad Christum fugias, ille levabit onus.

*Vivere* 27

Vivo ego: quid dico me vivere? Non ego certè,
  In me sed Christus vivit, agitque meus.
Nunc ego quod vivo, vita est quam vivere donat
  In se credenti filius ipse Dei,
Æterno qui me miserum complexus amore est,
  Séque neci pro me tradidit immeritæ

*Peccata* 28.

Quam minùs immemorem tua te peccata remordent,
  Plura sub immenso fasce latere puta.

*Viátor* 29.

Infima præ summis prudens sectare Viator,
  Ex alto casu nam graviore rues,

*Lex Mortis, Judicium* 30

Imposita est pariter lethi lex omnibus, & nos
  Post mortem justi judicis urna manet.

*Ad Jesum* * 31.

Te spectem suprema mihi quum venerit hora,
  Te teneam, Jesu, deficiente animo.

*Lucrum* 32.

Seu maneam in terris, & sit mihi vita superstes,
  Seu moriar, solus tu mihi Christe lucrum.

*Deus pro nobis* 33.

Ecquis in adversos ferat arma inimica, Deorum
  Si Deus in nostris militat auxiliis?

*Duritiet* 34.

* Est Parodia Tibulliani distichi Eleg. 1, in quo est *ἀντὶ τοῦ Jesu moriens*

Duri-

Duritiem Iſraëlis homo miraris, at ô ſi
Defæcato oculo tu te ipſum inſpiceres!

*Providentia.* 35

Res regit humanas Domini providentia, quódque
Eſſe putas pœnam ſit medicina tibi.

*Mori.* 37

Si moriendum homini nemo eſt qui neſciat, unde
Se moriturum etiam, dic mihi, nemo putat?

*Se committere Deo.* 38

Te totum committe Deo, contingere damni
Quam libet ignores, nil ſinet ille tibi.

*Tollere.* 39

Tollat opes Deus, & vitam quoque, tollat honores,
Dummodo ſe nunquam ſubtrahat ille mihi.

*Arca Noachi.* 41

Inſanis mage quo jactatur fluctibus arca,
Hoc propiùs cælos aſtráque ſumma petit.
Sic pia mens agitata malis, quo grandior æſtus
Sævit, & in miſeram quo furit unda magis,
Hoc magis ad Dominum fertur tellure relictâ
Inque Deo propius, ſpémque fidémque locat

*Aurea Pocula.* 42

Delitiis peccata tegit Cacodæmonis aſtus,
Aurea, crede mihi, pocula virus habent.

*In Pontificem Romanum.* 43

Servum ſervorum ſe dicit Papa, nec errat
Dæmonis eſt etenim ſervus, & ille Dei

*In Eundem.* 44

Petro ſe dicit ſuccedere Papa, nec errat
Petro ſuccedit dum negat ille Deum.

*Peccatorum primus,* 45

Si Peccatorum primum te, Paule, vocaſti,
Dicere quem poteris, Clerice, te miſerum?

*Corona ſpinea.* 46

Ante triumphantis quam tu potirere coronâ,

In

Nec Genitor genito prior est, sic Filius ipse
Æterno æternus nec Patre posterior.
Sanctus ab æterno æternùm procedit utróque,
Ut Patris & Nati Spiritus unigenæ.

*Una Caro.* 58

Unam constituit cum Christo Ecclesia carnem,
Qui corpus lædit, lædit & ille caput

*Nec ruga, nec macula.* 59

Quum macula Sponsum nunquam maculaverit ulla,
Conveniens Sponso Sponsa sit ipsa suo.

*Dives.* 60

Nequaquam est dives fruitur qui divite censu,
Cujus & immensas arca flagel at opes.
Sed cujus mens plena Deo, qui pauperis æquè
Atque sui curam nocte diéque gerit.

*Sejunctos conjungere.* 61

Corpore sejunctos animo conjungit amoris
Copula sinceri, nec temerata fides.

*Lucerna sine Oleo.* 62

Quid sunt divitiæ quas non commendat egenis
Stips collata? Oleo nonne lucerna carens?

*Lucerna fætens.* 63

Ut solet extincto lino foetere lucerna,
Est exstinctus amor sic ubi, divitiæ.

*Labor sine precibus.* 64

Quid tute excrucias? operam quid sumis inanem?
Absque prece incassum recidit usque labor.

*Preces ignavæ.* 65

Eia age, quid cessas? Dominum quid voce fatigas
Ignavâ? Ignavas respuit ille preces.

*Vera Scientia.* 66

Nomine sola suo verè illa scientia digna est,
Conscia mens recti cui comes ire solet.

*Conscientia.* 67

Quæritur à multis, petitùrque scientia ubique,
A paucis sed mens conscia justitiæ.

Arca lucrum, damnum conscia mens patitur.

*Lucrum injustum.* 77

Duceris injusti quisquis dulcedine lucri,
Expecta damni postmodo justitiam.

*Tegere peccata.* 78

Inflixit tibi quæ peccatum vulnera, si tu
Texeris, iratus deteget illa Deus.
Putria sed si tu detexeris ulcera, supplex,
Placatus medicâ mox teget ille manu.
Agnosce ignoscet, pudeat peccasse, remissa
Pars erit offensæ sic bene magna tuæ.
Tam placet ipsa Deo nam mens verecunda fatentis,
Quam peccatoris displicet effugium.

*Memoria Crucifixi.* 79

Ille Cruci indubiè affiget peccata, recondit
Mente crucem memori qui, Crucifixe, tuam.

*Pastoris lucrum.* 80

Ne, Pastor, sectare lucrum, verè ille lucratur
Qui didicit Christo posse lucrari hominem.

*Mori quotidie.* 81

Quotidie moritor, mortémque in morte repelle,
In Domino dabitur vivere námque tibi.

*Veteris Adami mors.* 82

In me peccatum, vetus & moriatur Adamus
In me ut, quum moriar, vivere, Christe, queas.

*Bene vivere.* 83

Quàm moriare priús, bene quid sit vivere disce,
Vitam namque bonam mors bona consequitur.

*Credi falso.* 84

Crederis esse pius: quod non es, crederis esse,
Te duplici iccirco nomine crede reum.

*Pietas simulata.* 85

Vt videare pius ne tantùm quære, sed esto;
Nam pietas proderit nil simulata tibi.

*Post lapsum resurgere.* 86

Cum Davide cadis? quin cum Davide resurgis?

Sur-

# STEPHANI CLERICI

# QUÆSTIONES

# ACADEMICÆ

# STEPHANI CLERICI QUÆSTIONES ACADEMICÆ.

## QUÆSTIO I.

*De Epigrammate Lib.* III. *Anthol. cujus initium est* Ξεῖνος Ἀταρνείτης &c.

HOratiani præcepti, *Vos exemplaria Græca Nocturnâ versate manu, versate diurnâ*, dum Græcorum Epigrammatum Florilegium oculis lustro, *Floriferis ut apes in saltibus omnia libans*, incidi in venustissimum Epigramma Libri Tertii, in quo Atarnites quispiam Pittacum Mitylenæum interrogat, utrum sibi auctor sit Virginem sibi genere & divitiis parem, an verò alteram quæ sibi offerebatur, ditiorem ac nobiliorem ducere? Respondet Pittacus ostendendo pueros in trivio ludentes quos Atarnitæ consilium suppeditaturos ait: sequitur in Epigrammate:

Οἱ δ᾽ ἄρ᾽, ὑπὸ πληγῇσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες
Ἔστρεφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ.
Κείνων ἔρχεο, φησὶ μετ᾽ ἴχνια, χ᾽ ὣ μὲν ἐπέστη
Πλησίον, οἱ δ᾽ ἔλεγον, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα.

Hoc audito, dicitur Atarnites, veritus omen, consilium puerorum sequutus. Hæc, Vir Clarissime, pensiculatiùs attendenti γριφώδες quiddam, in quo explicando aqua hæreat ὑπεφαίνετο, quare nempe παίδων ἐν τριόδῳ versantium hîc fiat mentio? tum quid per τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα intelligendum veniat? ac denique cur Atarnita ille dicatur παίδων κληδόνι συνθέμενος? Has mihi V. C. si tenebras discusseris, solidam à me & grandem inieris gratiam.

## RESPONSIO.

Quòd hoc ætatis, Lectissime Adolescens, quâ raram facit misturam sapientia, te ad bonos auctores evolvendos sponte propensum videam, eò lubentiùs adducar ut quæstionis tuæ faciam satis. Non temere est, ut te putare conjicio, quòd hîc Callimachus παίδων ἐν τριόδῳ mentionem injicit, cùm præsertim de uxore ducenda agatur, quod rarò non capto omine, ut ferè in cæteris rebus alicujus momenti, facere amabant veteres Ethnici. Antequàm igitur quod animo versabant aggrederentur, per urbium vicos & compita, sive trivia, quod idem est, oberrantes sedulò obviorum quorumvis ac maximè ignotorum voces observabant, ut omen faustum vel infaustũ expiscarentur. Ideò verò ignotum eum esse par erat è cujus voce vel verbis omen capiebatur, ne sciens & prudens, vel in gratiam, vel in odium ejus cujus intererat, loquutus

quutus videretur, sicque omen irritum abiret: Ignotos porrò ejusmodi nusquam facilius quàm in triviis & urbium compitis reperire erat; & ad eam rem aptiores longè pueri, qui alienorum plerumque non satagunt, & inde est quod Tibullus Deliam de discessu suo anxiam omina pueri è trivio Eleg. L.I. cepisse ait, hæc ille:

*Delia non usquam, quæ me quum mitteret urbe*
*Dicitur ante omnes consuluisse Deos.*
*Illa sacras pueri sortes ter sustulit, illi*
*Rettulit è triviis omina certa puer.*

In quibus puer è triviis est ὁ τυχών, ut Græci loquuntur, obvius quisque in platea, sed & Græci dicerent etiam παῖδας ἐκ τριόδου, pro τοὺς τυχόντας, ut Lucillius Anthol. l. 2. dicit ξύλον ἐκ τριόδου pro forte obvio quolibet baculo, in hoc Epigrammatè Πᾶς ὃς ἂν ᾖ πτωχός &c. quod ita Latinè sonat:

*Non versare molam quicunque indoctus egénsque est,*
*Mercede aut pactâ tollere curat onus;*
*Sed nutrit barbam, & tollens* triviale bacillum
*Virtutis princeps inquiet esse Canis.*
*Zenodoti hoc sapiens dogma est, ut qui are carebit*
*Pannosâ incedat veste, nec esuriat.*

Pittacus igitur ut Atarnensis peregrinus molestiam à se depelleret, sublato scipione trivium monstravit ut inde omen caperet, licèt forte nec pueros cerneret, nec quid rerum tunc agerent perspectum haberet: siquidem omen est quo vox ex

ore alicujus excepta, cùm aliò planè ſpectaret is qui eam emiſit, ad alterius rei eventum ab excipiente applicatur. Ita prout teſtatur *Cicero* 2 de Div. cùm M. Craſſus exercitum Brundiſii imponeret, quidam in portu Caricas Cauno advectas vendens *Cauneas* clamitabat, quam vocem quidam excipientes, poſtquàm à Parthis cum exercitu penè ad internecionem cæſus, pro ſiniſtro omine acceperunt, quaſi diceret homo ille *ἐκ τριόδȣ cave ne eas* quòd indifferenter *averuncare* pro *averruncare*, & *cauneas* pro *cave* ne eas dicerent veteres Latini.

Sic cùm pueri trochis verſandis tantùm intenti dicerent *τὴν κατὰ σαυτὸν ἕλα*, hæc verba pronis excipiens auribus ille qui *ἐν τριόδῳ ἦν λογισμῶν* connubio ſuo aptavit, & ideò dicitur *παίδων κληδόνι συνθέμενος*. *i.* aſſenſus puerorum omini, vocem enim *κληδὼν*, *κληδονισμὸς* & *κληδόνισμα* pro *omine* accipi, ut verbum *κληδονίζω* & *κληδονίζομαι*, pro *omen capio*, in Græcis peregrinus ſit oportet qui neſciat.

Supereſt jam ut quid ſibi velit *τὴν κατὰ σαυτὸν ἕλα* expediamus, quod utique factu facile, ſi his pari nubendum præcipi affirmaverimus, imò ne ſic quidem doctiores erimus, ſi interim quænam ſit paritas illa nos fugiat. Age igitur *Plutarchum* in partes ducamus, is fortè nobis interpres idoneus fuerit, hæc ille libr. *περὶ παιδ. ἀγωγ.* *ἐγγυᾶσθαι δεῖ τοῖς υἱοῖς γυναῖκας* &c. *filiis uxores tradere par eſt, neque longè nobiliores, neque longè opulentiores, Scitum enim illud eſt τὴν κατὰ*

σαυ-

*σαυτὸν ἔλα, adeò ut qui se longè superiores ducunt non uxorum mariti, sed dotum mancipia, non advertentes evadant.* Hæc nimis jejunè, meâ quidem sententiâ, Plutarchus: videamus si quid aliunde opis affulgeat; certè *Plato* l. VI. de Leg. longè aliâ ratione τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα exponere videtur; atque adeò dispares nuptias probare his verbis πατέρων χρὴ προθυμεῖσθαι γίγνεσθαι &c. *Quicunque ferocioris velocioris que quam oportet ad agendum animi sibi conscius est, is det operam ut modestissimorum parentum filiam ducat, & qui contrà naturâ affectus est, contrariam sibi asciscat affinitatem.*

Ex quibus vides temperamentum quoddam & veluti ingeniorum mixturam, nec non etiam aliarum omnium rerum ad vitam tuendam constante matrimonio utilium, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα præcipere. Sed quocunque te vertas, connubium est periculosæ plenum opus aleæ, siqua præsertim Anaxandridæ antiquo Poëtæ sit fides, cujus verba, quia paulò prolixiora, Latinè tantùm proferemus

*De nuptiis qui consulit, sibi consulit,*
*Non bene, quia consultò inconsultam rem facit,*
*Namque id malorum initium in vita maximum est.*
*Nam si dotatam pauper uxorem domum*
*Duxit, non uxor ista sed domina est viro,*
*Qui servitutem servit; cui nupta est inops,*
*Egens in vitam & ille servilem incidit,*
*Ut cui jam pro uno sustentandi sunt duo;*
*At turpem duxerit, vita non vitalis est,*
*Tadet pigétque in propriam indogredi domum;*

*Pulchrum exambivit alius: ah! demens suam*
*Hanc si magis putavit quàm viciniæ.*
*Ita quo te vertas cunque haud effugre est malum:*

Fusiùs paulò hoc ipsum vir ævi nostri non indoctus diduxit

*Si juvenis vetulam, si fœdam pulcher amavit,*
*Dispar connubium est dissidiumque domi.*
*Pauper obæratus si divite conjuge gaudet,*
*Dispar connubium est dissidiumque domi.*
*Si capite indomito uxorem mansuetus habet vir,*
*Dispar connubium est dissidiumque domi.*
*Si pacis cupidus rixas non audit aniles,*
*Dispar connubium est dissidiumque domi.*
*Si sterili frustra sociatur prolis amator,*
*Dispar connubium est dissidiumque domi.*
*Siquis zelotypæ insano cruciatur amore,*
*Dispar connubium est dissidiumque domi.*
*Promere si loculos locupletes abnuit uxor,*
*Dispar connubium est dissidiumque domi.*
*Si nitidus rugas & fœtida basiat ora,*
*Dispar connubium est dissidiumque domi.*
*Si Veneri Venus omnis abest & gratia ludis,*
*Dispar connubium est dissidiumque domi.*
*Si gallo gallina loquacior hoc quoque dispar,*
*Connubium, sed in hoc par, quod uterque miser.*

At fortè quæsiveris quid de matrimonii periculis hîc multa promere opus fuerit; nempe quia vox ἕλα quæ navigationis est propria, ut passim ex Græcis Scriptoribus videre est, eò nos adegit: sic

ſic Homer. Od. γ. οἱ μὲν νέας ἕλκομεν εἰς ἅλα δῖαν &c.

Ἡμίσεες δ᾽ ἀναβάντες ἐλαύνομεν, αἱ δὲ μάλ᾽ ὦκα

Ἔπλεον:

*Alii quidem è nobis naves in mare immenſum protraximus, & bene præcinctas mulieres ac facultates impoſuimus: Dimidia verò populi pars ibi ad Agamemnonem populorum rectorem detenti manſerunt, Alii navibus conſcenſis* remis incubuimus, *illæ verò celeriter admodum navigarunt.* Apollodorus item Argonaut. L. 1. χρύσειον μετὰ κώας ἐύζυγον ἤλασαν Ἀργὼ *per Ponti fauces & Cyaneas petras Peliæ regis juſſu, ad vellus aureum bene tranſtratam Argo* remis impulerunt. Denique Dionyſ. Halicarn. de Demoſth. eloquentia τοῖς μὲν ξένοις ὁπλίταις χρώμεθα, τοὺς δὲ πολίτας ἐλαύνειν ἀναγκάζομεν *peregrinis quidem pro gravis armaturæ militibus utimur, cives verò* remis incumbere cogimus.

Inde eſt quod δυσεμφέλῳ navigationi ſint qui conjugium comparaverint, ut inter alios Anonymus quidam 1. Anthol.

Εἴ τις ἅπαξ γήμας, πάλι δεύτερα λέκτρα διώκει,

Ναυηγὸς πλώει δὶς βυθὸν ἀργαλέον

*Uxorem qui duxit, & optat habere ſecundam*

*Naufragus infeſtum bis natat ille mare*

Nec abludit Theognis in his Οὔτοι συμφορόν ἐστι γυνὴ νέα ἀνδρὶ γέροντι &c.

*Tempeſtiva ſeni primævo flore puella*

*Non est, nec clavo, ceu ratis, apta regi.*
*Anchora non illam teneat: sed fune soluto*
*Nocte illam statio non tua suscipiet.*

Hoc itaque loco cùm in periculosæ navigationis procinctu esset Atarnensis, ne qui celocem regere nequiret onerariam peteret, admonetur, quod utinam præceptum ominis vice hodie acciperent qui facto velut agmine tum ad politica, tum ad literaria munia, non bene subductâ virium ratione, grassantur. Et hæc quidem quibus bilem in nasum concire possunt, indicta sunto: plura utique adderem ni jam.

*Velatraham & terris festinem advertere proram.*

---

## QUÆSTIO II.

## De AMAZONIBUS.

MOris est V. Cl. in solenni hac πανηγύρει literarias nonnullas proponere quæstiones, quò animos nostros non semper stolido torpere veterno, sed bonos etiam quandoque nos versasse auctores ostendere queamus; cùm itaque χθὲς καὶ πρώην in Apollonii Rhodii locum incidissem ubi de Amazonibus ita disserit:

Καὶ νύ κε δηθύνοντες ἀμαζονίδεσσιν ἔμιξαν &c.

Subiit animum dubitare an quæ de Amazonum moribus, regno & sedibus ibi à Poëta referuntur pro veris habenda sint, cùm præsertim

earum

earum origo prorsus fabulosa videatur. Quid itaque super his censeas & num etiam Alexandri Macedonum Regis ætate, ut refert Q. Curtius, superstites fuerint mihi aperias etiam atque etiam te rogatum velim.

## RESPONSIO.

Non de nihilo est L. A. quæ animum tuum subiit dubitatio, super degenere humani ritûs Amazonum gente, non consentientibus enim inter se auctoribus itum in partes; & præstantissimis jam olim viris, auctorum fides, ut has mulieres fuisse crederent, laborare visa est: quod *Strabonis* Geographorum doctissimi verba manifestè arguunt, τίς γὰρ ἂν πιστεύσειεν, inquit ille l. 11. ὡς γυναικῶν στρατὸς, ἢ πόλις, ἢ ἔθνος συσταίη ἄν ποτε χωρὶς ἀνδρῶν, *mulierum exercitum, aut urbem, aut gentem, stare aliquando absque viris potuisse ecquis credat?* Nec minùs id ex Arriani l. VII de gestis Alex. conjicias μηδὲ γενέσθαι μὴν γὰρ παντελῶς τὸ γένος τούτων τῶν γυναικῶν οὐ πιστὸν δοκεῖ ἔμοιγε, πρὸς τοσούτων καὶ τοιούτων ὑμνηθὲν, *prorsus enim non fuisse harum mulierum genus mihi quidem credibile non videtur, cùm à tot talibusque viris decantatum sit*: quorsum enim hoc diceret, si nemini unquam dubium visum foret?

Verùm ut quod res est dicamus, multa διὰ τὴν παραδοξολογίαν μύθοις ὅμοια *propter narrationis insolentiam fabulis similia*, imò meræ fabulæ haben-

habentur, quod contigit Amazonum historiæ, cui à Poëtis ψεύδεα πολλὰ inculcata sunt, ab Historicis postmodum ἀβασανίστως excepta: neque tamen hæc historia, me quidem judice, planè est quod ait Lucilius, *Pergula pictorum veri nihil omnia falsa*, nam Amazones multa loca obtinuerunt, earum nominibus multis post sæculis insignia, ut refert auctor ἀξιόπιστος *Eustathius ad Dionysium Afrum* ὅτι δὲ αἱ ἀμαζόνες πολλῆς ἐν ἀσίᾳ κατέσχον τόπους ποτὲ δηλοῦσι καὶ κρῆναί τινες ἀμαζόνων ὁμώνυμοι &c *multa in Asia loca obtinuisse Amazonas demonstrant etiam fontes quidam Amazonibus cognomines, nec non etiam urbes, velut ipsa Ephesus, Anæa, Myrrhina*, &c. Quod etiam *Plutarchi* auctoris gravissimi testimonio confirmatur, Theseo in hæc verba: τὰς πετρωμένας φασὶ τῶν ἀμαζόνων ὑπ' Ἀντιόπης &c. *Ajunt Amazonas vulneratas in Chalcidem clam ab Antiopa missas procuratas fuisse, ibique nonnullas sepultas circa locum qui nunc Amazonium appellatur.* Et rursus paulò post φαίνονται δὲ &c. *Videntur etiam non sine negotio Amazones Thessaliam peragrasse, sepulchra enim earum etiamnum hodie circa Scotussæam & Cynocephalas ostenduntur.*

Denique Græcis bellum intulisse Amazonas, præter Plutarchum locuples testis est *Isocrates*, in Panegrici opere elaboratissimo, in quo aniles fabulas narrasse minimè censendus est, hæc ille: ἦλθον εἰς τὴν χώραν ἡμῶν Θρᾷκες &c. *Venerunt in regionem nostram Thraces quidem cum Eumolpo*

*Neptuni*

*Neptuni filio, Scythæ verò cum Amazonibus, Martis filiabus.* Alios præterea testes fidei huic rei fœnerandæ, adducere superſedeo, cùm hi inſtar omnium eſſe poſſint.

Quum autem hæc antiqua admodum ſint, *θαυμαστὸν οὐκ ἔστιν*, ut Plutarchi verba uſurpemus, *ἐπὶ πράγμασιν οὕτω παλαιοῖς πλανᾶσθαι τὴν ἱστορίαν, Nihil mirum in rebus tam vetuſtis historia fidem nutare.* Crediderunt quippe Amazonas peculiarem conſtituiſſe nationem, virorum caſſam, atque orbam, qua in re cum Poëtis totâ errarunt viâ: etſi enim non eamus inficias, infeſto exercitu Amazonas plurima tum Aſiæ, tum Græciæ loca penetraſſe, non propterea concedimus, id illas abſque virorum ope præſtitiſſe, fuerunt quippe Scytharum & Sarmatarum, aliorúmque id genus Barbarorum populorum, tum uxores, tum filiæ, quæ unà cum viris expeditiones bellicas pro ſuæ gentis more ſuſcipiebant: quod vero vincere tam in proclivi quàm imber eſt cùm pluit, non deſunt ſiquidem auctores fide digniſſimi, qui id literis conſignarunt.

Inter Græcos vel unus *Plato* l. 7. de Repub. ſatis eſſe poſſit: in his *οἶδα ὅτι μυριάδες ἀναρίθμητοι γυναικῶν εἰσι* &c. *Scio immenſum eſſe numerum circa Pontum mulierum quas Sauromatidas appellant, quibus non equorum ſolùm ſed & arcuum, & aliorum armorum æqualis cum viris conſtituta eſt communitas, quibus æqualiter ſe exercent. Diodorus item Siculus* l. 2. hæc habet: *μετὰ δὲ ταῦτα ἀναρχίας γενο-*

νομένης &c. *Posthac deficiente inter Scythas principatu, regnum administrarunt mulieres robore præstantes, in his enim gentibus ad belli munia tanquam viri exercentur, nihilque viris fortitudine inferiores sunt.*

His porrò gemina germana sunt quæ apud *Stobaum* leguntur in fragmentis *Nicolai Damasceni* de moribus gentium, ubi de Galactophagis Scythis verba faciens, ait: μάχιμοι δ' οὐχ ἧττον αὐτῶν αἱ γυναῖκες ἢ οἱ ἄνδρες καὶ συμπολεμοῦσιν αὐτοῖς ὅταν δέῃ: *Ipsorum verò mulieres, viris non minùs sunt pugnaces, & cùm opus fuerit se belli socias præbent.*

E Latinis qui sunt ὅσοι ψάμαθός τε κόνις τε, unum atque alterum adducemus, primásque *Melæ Pomponio* tribuemus, hæc ille L. 1. c. 21 *Oram quæ à Bosporo ad Tanaim usque deflectit, Mæotici incolunt, Toreatæ, Arrichi, Phicores, & ostio fluminis proximi Taxamathæ: Apud eos easdem artes fœminæ quas viri exercent, adeò ut ne militiâ quidem vacent, viri pedibus inhærent, sagittisque depugnant, illæ equestre prœlium incunt.* Huic *Tacitum* meritò succenturiabimus Libro *de Germanorum moribus*, quo loco dicit: *Germanorum mulieres, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admoneri, venire se laborum periculorúmque socias, idem in pace, idem in prœlio passuras ausurásque.* Agmen claudet *Fl. Vopiscus* in Aureliano: *Ducta sunt & decem mulieres quas virili habitu pugnantes inter Gothos ceperat: quum multæ essent interemptæ, quas de Amazonum genere titulus indicabat.*

His omnibus mantissæ loco addamus *Appianum*

*num* Libro *de bello Mithridatico* ubi de Albanis & Iberis à Pompejo devictis loquitur: πολλαὶ δὲ ἐν τε τοῖς ὁμήροις &c. *Multæ tum inter obsides, tum inter captivos repertæ sunt mulieres, non minora quàm viri vulnera passæ, & videbantur esse Amazones, sive sint Amazones gens ipsis contermina, quæ tunc ad auxilium fuissent advocatæ, sive omnino bellatrices quasdam mulieres hujus tractûs barbari Amazonas vocant.* Hactenus ille; ex quibus videre est eum etiam de veritate gentis Amazonum dubitasse, & cæteris de hoc ampliùs quærendi ansam præbuisse, dum dicit, fortè barbaros bellatrices mulieres Amazonas vocasse, quod illi alicunde suboluisse verisimile est.

Utique prorsus sic se res habet, nec fuit unquam pecularis gens Amazonum, quæ absque viris Rempublicam aliquam constituerit. Rem totam manifestè aperit Libro *de aëre locis & aquis*, divinus ille senex, qui *Macrobio* nec falli nec fallere scivit: ἐστιν ἔθνος σκυθικὸν ὃ περὶ τὴν λίμνην οἰκεῖ τὴν μαιῶτιν &c. *Est gens Scythica quæ Mæotidem accedit paludem ab aliis differens gentibus, Sarmatæ vocantur, horum fœminæ equitant arcuque utuntur & ab equo missilia spargunt, ac quandiu virgines sunt cum hostibus decertant, neque virginitatem deponunt donec tres interfecerint hostes: dextram autem mammam non habent, puellis enim adhuc infantibus matres in hanc ipsam rem elaboratum aneum instrumentum igne candefactum mammæ dextræ imponunt, aduriúntque adeò ut incrementum corrumpatur,*

*tur, & ad dextrum humerum atque brachium totum robur & plenitudo transferatur.*

Hæ sunt veræ illæ Amazones adustis papillis, præter quas alias si quæsiveris, tu *ἀκίνητα διώκων Avius à vera longè ratione recedis.* Quod ad secundam tuæ quæstionis partem attinet, an ætate Alexandri Magni superfuerint adhuc Amazones? paucis te absolvemus, nam siqua fides sit *Diodoro Siculo* Biblioth. l. 2. rem confectam habemus: hæc ille de Hercule verba faciens, *παρατάξει δὲ μεγάλῃ νικήσαντα* &c. *Cumque ingenti prœlio vicisset Amazonum copias concidisse, hancque gentem planè attrivisse ferunt, ideóque finitimos barbaros despectâ illarum infirmitate, cladiumque acceptarum memores, continuis gentem bellis usque adeo profligasse, ut ne nomen quidem Amazonum alicubi sit reliquum.*

Sublestioris fortè fidei hunc auctorem fuisse dixeris, quam ut facile quis ei assensum præbeat; hæc puto de *Arriano*, philosopho simul & historico gravissimo, non protuleris; negat ille L. VII quemquam fide dignum auctorem Amazonas Alexandrum accessisse literarum monumentis tradidisse, subjungitque: *οὐδὲ δοκεῖ μοι ἐν τῷ τότε σώζεσθαι τὸ γένος, τῶν ἀμαζόνων* &c. *Neque mihi tunc temporis videtur Amazonum genus superstes fuisse, imò ne ante Alexandrum quidem, vel earum mentionem fecisset Xenophon, cùm Phasianorum, Colchorum aliarúmque barbararum nationum meminerit, quas Græci Trapezunte profecti, aut priusquam Trapesuntem appellerent, accesserunt, quibus in locis Ama-*

*Amazonas offendissent, si modò superstites adhuc fuissent.*

Quod si hæc non faciant satis, vel unus *Lysimachus* apud *Plutarchum* in Alexandro αὐτόπτης γενόμενος hunc nodum solverit, cùm enim ei rerum jam potienti, *Onesicritus* quæ de Thalestri Amazone commentatus erat, recitaret, his eum excepit: Καὶ πῶ τότε ἤμην ἐγώ; *Ubinam gentium tunc temporis eram?* Hæc quoque tibi minus arrident? at mihi cum Comico pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decem: qui audiunt audita dicunt: qui vident planè sciunt.

---

# QUÆSTIO III.

## *De* LOCMANO *Arabum Fabulatore.*

ANte aliquos viginti dies V. Cl. non quidem ἐν τοῖς πέσσοις ἢ ἐν τοῖς μύροις, ἢ ἐν τοῖς ἰχθύσι, sed in libellis, ut politissimus ille Veronensis loqui amat, librariorum κειμήλια excutiens, incidi in Arabicas fabulas, Romanâ veste à *Thoma Erpenio* olim donatas, in quas cùm obtutum destituissem, curiosè ac sedulò eas perpendens, ipsissimas fabulatoris Æsopi fabellas legere mihi visus sum, ac tantùm Arabi cuipiam ab re sua otii fuisse, ut ejusmodi nugas Arabicè reddere sustinuerit, miratus sum. Inde perlectâ ipsius Erpenii præfatione, Locmanum nescio quem, sapientem Persam, à nonnullis earum auctorem ferri

ferri deprehendi, eumque ipſum eundem cum Æſopo, alios ut crederent adductos fuiſſe animadverti: quæ res fluctuantem animum *nunc huc, nunc dividit illuc, In parteſque rapit varias perque omnia verſat.* In hoc itaque opinionum diverſarum æſtu, Æſopi vitam à *Maximo Planude* Græcè conſcriptam feſtinus hauſi, neque tamen inde quicquam mihi opis acceſſit, niſi quòd tanquam παλαίβητόν τι καὶ ἀπρόσιτον μυριολύκειον Æſopum eum deſcribere comperi, hæc enim ille, ἐτύγχανε δὲ ὢν οὐ μόνον δοῦλος, ἀλλὰ καὶ δυσειδέστατα τῶν ἐπ' αὐτοῦ πάντων ἀνθρώπων εἶχε, καὶ γὰρ φοξὸς ἦν, σιμὸς τὴν ῥῖνα, σιμὸς τὸν τράχηλον, πρόχειλος, μέλας, προγάστωρ, βλαισὸς, καὶ κυφός, quod me parum abeſt quin in ſententiam eorum pedibus ire cogat, qui Locmanum non alium ab Æſopo fuiſſe perſuaſum habuerunt, quandoquidem & σύγχρονον & infelicis formæ Locmanum illum extitiſſe perhibent. Priuſquam tamen quidquam apud me ſtatuo, quo impetrabilior eſſem, in hac præſertim ſolenni πανηγύρει, tuam ſuper hac re ſententiam rogare animum induxi meum, tu ſi quid habeas benignus impertias velim.

## RESPONSIO.

Rem perplexam & irreſolubili fermè nexu intricatam quæris, L. A. ſi quid tamen in me ſit opis, lubentiſſimo corde atque animo expromam, ſi priùs

ſi priùs ὡς ἐν παρόδῳ te monuero, rem minimè levem ac nugatoriam eſſe Æſopi fabularum, quocunque tandem idiomate, verſionem. Oporteret alioqui Philoſophiæ parentem Socratem, cùm in vinculis publicis eſſet, paulò antequam κώνειον bibiſſet, in exodium vitæ, nugas egiſſe cenſeremus; eas ſiquidem carmine reddidit, ut ex ejus verbis apud Platonem in Phædone conſtat, vel Alcibiade priore, ubi Apologum de vulpecula & leone in re graviſſima affert, vel *Ariſtotelem* cùm Rhetor. l. 2. integras Æſopi & Steſichori fabellas recenſet, earumque non tranſlatitiam utilitatem oſtendit, nequis eas non pluris æſtimet quàm βατράχυς καὶ ὄνυς καὶ λήρυς, γραυσὶν οἷς μάταια καὶ παιδίοις, ut eſt Menippi apud Philoſtratum ſententia.

Sed ut è diverticulo in viam redeamus, quod de Locmano illo Perſa refers adeò obſcurum eſt & involutum, non ſolùm nobis qui in hoc terrarum angulo velut ἐν τῷ ἀβύστῳ deliteſcimus, ſed etiam illis qui bibliothecas Perſicis & Arabicis voluminibus refertiſſimas poſſident, ut vix quiſquam his queat ſe ambagibus expedire. Alii enim eum ſub Imperio Cai Choſroës quem ſeptimum ſtatuunt ante Darium Perſarum Imperatorem, qui fortè fuerit Darius Nothus, vixiſſe aſſerunt, is enim ſeptimus in ſerie Regum Perſarum ex Daniele & Eſdra petita poſt Cyrum Magnum reperitur, qui omnino Cai Choſroës eſſe videtur, nam Hebræi Cyrum *Chores* appellarunt,

 ſub

ſub cujus imperio vixit etiam Æſopus, quem Crœſi Cyri magni συγχρόνȣ aulicum fuiſſe conſtat. Mirum itaque Herodotum Euterpe apud Jadmonem Samium, Amaſidis Regis Ægypti tempore, qui regnante jam Cambyſe vixit, Æſopum ſervitutem ſerviiſſe referre. Sed utut res ſe habeat magis adhuc mirum Locmanum ſapientem eâ tempeſtate celebrem eidem Herodoto, Cteſiæ, Xenophonti aliiſque qui res Perſicas notas habuerunt planè ignorabilem fuiſſe, altum enim de eo apud hos omnes, cæteróſque ejus ævi Scriptores ſilentium.

Alii ut auctor *Tarich* ſeu Seriei Regum Perſiæ, circa Salomonem eum collocant, quadringentis ſcilicet annis & quod excurrit ante Æſopum. Alii denique ut Muhammedes in Alkorano, Suratâ 13, vel ut alii volunt 14, eum poſt D.N.J.C. tempora collocant: eo enim loco introducitur filium ſuum unius Dei cultum edocens, Filiúmque Dei negans.

Quum itaque tantopere inter ſe pugnent auctores in aſſerenda ætate quâ vixit Locmanus ille, mihi fit veriſimile, ut tu etiam putaſti, vel omnino fictitium, vel eundem cum Æſopo eum fuiſſe, nullus ſiquidem temporibus Cyri reperitur μυθοποιὸς Æſopo celebrior, unde factum eſt ut licèt multi vel ante, vel poſt illum fabulas compoſuerint, omnes tamen Æſopo acceptæ referantur, ut inter alios diſertè teſtatur in Apollonium Theon.

Et

Et hæc quidem est Græcorum, pro insita gentis vanitate, de apologis opinio. Vetustiores tamen eorum auctores fuisse vel ex Judicum cap. IX & Reg. II. c. XIV. apparet, sed hæc obiter.

Quod autem Maximi Planudis à te laudati auctoritatem attinet, nihil eâ moveor ut Æsopum & Locmanum pro uno eodémque habeam, nusquam enim apud probatos auctores, imò nequidem apud coævos Monachi illius, reperias Æsopum deformem fuisse, quare & hoc ab otioso Monacho, ut alia fermè omnia putida & ridicula quæ in ejus vita leguntur, Æsopo affictum fuisse, nullus dubito, is enim ut uberiorem nugarum proventum daret, illum nobis tanquam alterum Thersitem, imperitiùs immutatis Homeri verbis describit, ita enim eum Poëta graphicè utique delineat.

αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ ὑπὸ ἴλιον ἦλθε:
Φολκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, τὼ δὲ οἱ ὤμω.
Κυρτὼ ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε, αὐτὰρ ὕπερθε
Φοξὸς ἔην, κεφαλὴν ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη:

Nemo credo inficias iverit hanc Homericam Thersitæ non tantùm *σκιαγραφίαν* vel *εἰκονισμὸν*, sed veram *εἰκόνα*, quo sibi viam muniret ad cætera ἄτοπα & scurrilia quæ inibi blaterat, crassâ Planudem adumbrasse Minervâ, non quòd revera Æsopus silo esset, ventriosus valgus, bucculentus, breviculus, subnigris oculis, oblongis malis, & ut uno verbo absolvam,

 non

non homo, sed thesaurus nescio quis mali, ut Comici verba usurpem: cùm potiùs eum corporis, atque habitu non illiberali fuisse, si operæ esset &aliorum expilare scrinia liberet, tam facilè quàm pyrum volpes comest probari queat, non tamen adeò paucis ut diem diffindere non sit opus. His ergo si non omnino veris saltem ἐτύμοισιν ὁμοίοις in præsentiarum allatis, receptui canimus.

---

## QUÆSTIO IV.

### *De Campis HYPERBOREIS.*

MUlta V. Cl. apud Poëtas ψεύδεα esse ἐτύμοισιν ὁμοῖα, non solùm fando audivi, sed ipse etiam inter legendum comperi: verùm cùm non solùm Poëtæ & Mythologi, sed auctores præterea gravissimi Hyperboreorum meminerint, quid de his quæ Dircæus vates, de oleastro loquens quo olim coronabantur victores Olympici, Ode tertiâ Olympionicarum, his omninò verbis tradidit, statuerem, dubius atque anceps hæsi: ἀμφὶ κόμαισι βάλει γλαυκόχροα κόσμον ἐλαίας τάν ποτε ἴστρου ἀπὸ σκιαρᾶν παγᾶν ἔνεικεν ἀμφιτρυωνιάδας, μνᾶμα τῶν ὀλυμπίᾳ κάλλιστον ἄθλων, δᾶμον ὑπερβορέων πείσαις Ἀπόλλωνος θεράποντα. Et rursus paucis interjectis δή τότ' ἐς γαῖαν πορεύειν θυμὸς ὥρμαιν' ἰστρίαν νιν πνοιᾶς ὄπιθεν βορέα ψυχροῦ. In quibus mirari subit quî fieri

fieri poſſit, ut oleaſtri inclementiori cœlo, ad Iſtri nempe fontes naſcantur, & cur eorum accolas Hyperboreos p. ſt Boream ſedes incolere perhibeat Poëta, cùm ſatis ex Geographiâ conſtet regionem illam è quâ caput exerit Iſter, impotentis non rarò flatibus Aquilonis obnoxiam eſſe, & expoſitam. Siquid itaque habeas multijugâ cognitum lectione, quò me his eximas ſcrupulis, id mecum communices, pro ſolenni tua erga Muſarum alumnos humanitate, etiam atque etiam rogo.

## RESPONSIO.

Tria L. A. quæſtionis tuæ capita eſſe videntur; nempe an Oleaſtri in regione gelu aſtrictiſſima, quales videntur eſſe quæ ſub ipſo ſyderum cardine jacent, naſci queant? & an Hyperborei pone Boream incolere dici poſſint? ac denique an verè ſint ac exiſtant Hyperborei? ad quæ ordine reſpondebo.

Et primò quidem quod Oleaſtros attinet, frigoris eos impatientes eſſe, vel calidioris temperiei regiones, in quibus ſolis naturalis hiſtoriæ ſtirpium periti ejuſmodi arbores, nec temerè alibi, reperiri prodiderunt, abunde teſtari videntur; quod *Plinii* teſtimonio etiam confirmari poteſt, hæc enim ille L. XVI. c. XVIII. *Non temerè in montibus viſæ ſunt prunus, punica, oleaſtri, juglans, morus ſambuci*: quæ Plinii verba de Italiæ mon-

tibus potissimùm sunt accipienda, non verò de Germaniæ septentrionalis montibus, qui perpetuis fermè obsidentur nivibus, & rigente gelu maximam anni partem infesti sunt, qualem Abnobam montem Danubii, sive Istri scaturigine nobilem in Wirtembergensi Ducatu illius Germaniæ tractûs peritissimi nobis describunt: in quo ne vites quidem, nedum Oleastri proveniant.

Nec sanè ea Pindari mens fuit ut Oleastros frigidiori nasci posse cœlo, credi voluerit, cùm præsertim Boreæ flatuum immunem Hyperboreorum regionem in qua Oleastrorum vilis annona, esse statuerit, cui rei etiam firmandæ facit, quod de Asinorum hecatombarum mactatione apud Hyperboreos idem Pythionic. Ode 10. addit, frigoris enim maximè impatiens animal esse Asinum vel rerum naturalium rudes non ignorant, unde nec in frigidis generatur regionibus. Verùm cùm Istri fontes in Hyperboreis collocat, id licentiâ facit Poëticâ, vel etiam Geographiæ ignoratione, qua in re graviùs etiam errarunt innumeri magnæ post eum auctoritatis viri, inter quos *Herodotus & Aristoteles*, quorum ille Euterpe Istri fontes esse dicit apud Celtas Europæ populos maximè occidentales & extra Herculis columnas sitos, hic verò 1. *Meteorol. c.* 13. ex Pyrenæo monte Istrum & Tartessum ortum habere prodit. Hoc utique mirum foret, nisi Græcos illos antiquos Europæ partium occidentalium & septentrionaliũ obscuram admodum habuisse no-

titiam

titiam perſpectũ haberemus. Et hæc quidẽ ad primam quæſtionis tuæ partem dicenda habuimus.

Quod ſecundam ſpectat, ipſa Hyperboreorum appellatio eos poſt Boream, ſive à tergo Boreæ ſitos fuiſſe, ſimodo hoc fieri poſſit, quod jam perpendendum incumbit, ſatis indicat. *Herodotus* tamen cùm hoc non ſatis concoqueret, ut opinionem de Hyperboreorum ſitu everteret l. 4. neceſſe eſſe ait, ſi quidem dentur Hyperborei, dari etiam *hyperauſtrales* εἰ δὲ εἰσί τινες ὑπερβόρεοι ἄνθρωποι, εἰσὶ καὶ ὑπερνότιοι ἄλλοι, quam argumentationem ridet Eratoſthenes apud *Strabonem.* l. 1. philoſophico hoc axiomate nixus τῶν ἐναντίων οὐκ ἀναγκαῖόν ἐστι ἂν θάτερον ἢ καὶ τὸ ἕτερον, *E contrariis ſi unum fuerit alterum eſſe neceſſe non eſt*, ac concludit revera eſſe hyperauſtrales, ac proinde abſurdum non eſſe exiſtere etiam poſſe Hyperboreos.

Verùm horum litem ita componit Strabo, ut utrumque errare & avium à vera longè ratione vagari oſtendat, & Eratoſthenem quidem, eò quòd cùm Auſter ab ipſo meridiei cardine cenſeatur ſpirare, fieri nequeat ut ſit aliqua regio quæ Auſtro careat, ſitque Auſtro magis auſtralis. Herodotum verò eò quòd vocem à Poëtis primùm confictam malè acceperit, hyperboreos enim eſſe poſſe non qui ſint πνοιῆς ὄπιθεν Βορέα ponc flatum Boreæ, vel ut ait *Pauſanias* Eliac. prior. qui ὑπὲρ τὸν ἄνεμον οἰκοῦσι Βορέαν qui habitant ſupra ventum Boream, vel denique, ut loquitur *Diodorus Siculus* Bibl. l. 2. πορρωτέρω τῆς Βορέου

 πνοῆς

πνοῆς, sed qui sint βορειότατοι ad Boream maximè positi, adeò ut ὑπερβόρε@ sit βορειότατ@, ut videmus apud auctores idoneos ὑπέρπικρ@ idem esse quod πικρότατ@, ὑπέρξηρ@ idem ac ξηρότατ@, ὑπέρογκ@ idem quod ὀγκηρότατ@ vel ὀγκωδέστατ@ *maximè tumidus*, non *supra modum sublimis*, ut malè vertit doctissimus alioqui Vossius in hoc *Dionysii Halicarnass.* loco in Lysia, fermè initio: δηλοῖ δὲ τοῦτο γοργίας τε ὁ λεοντῖν@ ἐν πολλοῖς πάνυ φορτικήν τε καὶ ὑπέρογκον ποιῶν τὴν κατασκευὴν καὶ οὐ πόῤῥω διθυράμβων ἔνια φθεγγόμεν@, qui locus ita verti debet: *hujus rei vel testis est Gorgias Leontinus, qui in multis tædiosam admodum & pretumidam seu valdè tumidam facit orationis texturam, & nonnulla à dithyramvis non multum remota profert*, nam τὸ φορτικὸν & τὸ ὑπέρογκον, ac denique τὸ διθυραμβῶδες vitia sunt orationis solutæ, ubi orator tragica veluti desævit & ampullatur in arte, vel projicit ampullas & sesquipedalia verba, ut faciebat Gorgias ejusque συνουσιαστικοὶ, τῶν οὐκ εἰωθότων σχηματισμῶν τῇ διαλλαγῇ καὶ τῇ ἄλλῃ καινολογίᾳ καταπληττόμενοι τὸν ἰδιώτην *qui hoc unum studebant ut inusitato & tumido dicendi genere pullatam turbam admiratione defigerent*: hoc autem factitasse Gorgiam, præter Dionysium, testatur etiam Longinus in aureolo περὶ ὕψους libello his verbis: τὸ παρὰ μέλ@ οἰδεῖν ἀσύγγνωστον &c. *importunus tumor non condonandus, vix enim, credo, veræ orationi congruere possit, hac de causa etiam Gorgiæ Leontini Gorationes risui*

*risui fuere dum scripsit*, *Xerxes Persarum Jupiter* κακοὶ γὰρ ὄγκοι καὶ ἐπὶ σωμάτων καὶ λόγων *pravi enim sunt tumores tum in corporibus, tum in orationibus.* Agmen porrò claudat Philosophus cujus auctoritas instar omnium, hæc ille Rhetor. l. 3. ποιητικὴ πρώτη ἐγένετο λέξις &c. *Prior fuit dictio poëtica qualis Gorgiæ, quin etiam nunc indoctorum plerique pro egregiis oratoribus habent, eos qui simili dicendi genere utuntur.* Hæc credo nostram versionem verborum Dionysii Halic. abundè confirmant, quæ nequaquam attigissem, nisi eundem cum *Vossio* errorem errassent, adolescentibus miserè illudendo, qui τοῦ μακαρίτου loculos confidenter satis excusserunt, quod inter alios, nos qui nec omnium rerum cognitione, nec multùm memoria, ingenio vel judicio sicut summi oratores, præstamus, risu potiùs & misericordiâ quàm indignatione excepimus: sed è diverticulo in viam.

Superest tertium tuæ Quæstionis membrum de ὑπερβορέων ὑπάρξει, quod paucis ne φορτικοὶ simus instar Gorgiæ alicujus, absolvemus. Sanè si fidei faciendæ auctores idonei admodum essent Poëtæ, ipse Pindarus qui multa de illis ἐπεφανύσατο, rem totam confectam dare posset, ille enim Homeri exemplo qui murum Græcorum, quem magno molimine exstruxerat, duobus evertit versiculis, paucis etiam verbis Hyperboreos è rerum natura sustulit, dum dicit ναυσὶ δ᾽ οὔτε πεζὸς ἰὼν εὕροις ἂν ἐς ὑπερβορέων ἀγῶνα θαυ-

*μαστὰν ὁδὸν, ad quos enim neque velis, neque remis, nec pedeſtri itinere datur aditus* , meritò nuſquam gentium cenſeri poſſunt.

Et utique Clemens Alexandrinus *στρωματέων* l. 4. extremo, figmenta eſſe quæ de Hyperboreis dicuntur innuit. Quin ipſe etiam Strabo l. 7. & 15. quę de illis Veteres vulgarunt fabularum inſtar habet: nec de his aliter cenſet Diodor. Sicul. Biblioth. l. 2. *οὐκ ἀνοίκειον εἶναι νομίζομεν τὰ περὶ τῶν ὑπερβορέων μυθολογούμενα διελθεῖν*; non extra rem fore cenſemus ſi quæ de Hyperboreis finguntur referamus.

Et hæc quidem ſatis eſſe poſſent ad demonſtrandum nuſquam fuiſſe Hyperboreos, ſed ad hoc inſuper auctorum ſuper illis diſſenſus, unicè facit. *Mela* ſiquidem & *Plinius* ſemeſtri die, parique nocte eos uti aſſerunt, ſed ille, ab æquinoctio verno ad autumnale, hic à ſolſtitio ad brumam diem illis attribuit. Ex quibus videmus Hyperboreos, ſi uſquam fuerint, gentem fuiſſe ad Polorum alterutrum ſitam, quod vix tamen fieri poſſe, non ſolùm ſphæricæ ac aſtronomicæ rationes, ſed Batavorum etiam ad novam quam vocant Zemblam navigatio, anno præteriti ſæculi ſexto & nonageſimo, arguere videtur. Tum enim ad 76 graduum altitudinem ad Polum Arcticum acceſſerunt, nec ulli tamen mortalium habitatum locum deprehenderunt, ſex quippe totis menſibus aſtrictiſſimâ glacie rigebat, ibique nunquam vera dies ſed ſemper crepera, ut quidam refe-

referunt, illis apparuit. Cùm autem Nova Zembla non ſit ſub ipſo ſyderum cardine, ut fuiſſe volunt Hyperboreos & à Nonis Novembris ad Calendas Maii noctem habuerint ibi loci Batavi. ſequeretur Hyperboreos, ut Polo viciniores, inclementiori adhuc cœlo uti debuiſſe, quàm Nova-zemblani facerent ſiqui eſſent. Non neſcimus tamen Groenlandiam ad octoginta graduum altitudinem & polo viciniorem frigore minùs tentari, & probabilibus inde rationibus adſtruere nonnullos, commodam ſub ipſo ſeptentrionali cardine habitationem, ſed hoc non multum habet momenti ad probandos Hyperboreos, nam ſi ab ipſo fermè cardine ſpiret Boreas, ultra eum ſitos eſſe par eſt Hyperboreos, quod abſurdum. Ergo nugæ nugerrimæ quæ de Hyperboreis & Riphæis montibus hactenus ab antiquis prodita ſunt, idque nos qui nihil unquam, nedum eloquentiam venditaverimus, tanquam verum aut ſaltem verò proximum aſſerere nulli dubitamus.

## QUÆSTIO V.

### *De ALCYONIBUS.*

HAud diu eſt cùm Joachimi Camerarii τῦ πάνυ auctarium ad Phile jambos te nobis præeunte legebamus, V. Cl. inter cætera autemadverterunt me & adfecerunt quæ de Alcedine ab illo aſſeruntur, quæ ſic habent: H'

Ἡ δ᾽ ἀλκυὼν ὄρνις μὲν ἐστὶ μεγάλ۞ , &c. ea porrò Latinè idem eleganter his expressit versibus:

*Pontum accolit cui nomen est avis Alcyon,*
*Nidumque figit navis instar concavum,*
*Undas super quem construit tutissimum,*
*Non temporis ratione, sed situ loci,*
*Modóque structura, & figura tegmine.*
*Hac incubante ovis, sereni sunt dies,*
*Notium licet tunc occupet sol limitem.*
*Æquor quietum puppe sulcat navita,*
*Dum quatuordecim dies sævit gelu.*

Hæc mihi perpendenti injecta est suscipio monstri alicujus sub hac alcedinis historia latentis, cùm præsertim de Phœnice & Cinamomo avibus, de Unicornu, de Remora aliisque animalibus γραώδεις μύθȣς Veteres historiæ monumentis consignasse nullus dubitem. Siquid itaque super Alcedine & alcedoniis tibi compertum sit, id mecum benignè communices etiam atque etiam rogo.

## RESPONSIO.

Non multis L. A. te morabor, tum quòd ea quæ quæris intricatiora sint, quàm ut facilè quis se his expediat, tum quòd inanium verborum strepitu, quibus plebeculæ & pullato circulo illudunt rabulæ, tam augusti consessus aures personare mei non sit instituti. Ut itaque ad rem aggrediar, auctorum inter se discrepantes sententiæ

non

non mediocriter Alcyonum historiæ fidem labefactant: quanquam magnis se hæc narratio auctoribus tueatur, quorum antiquissimus si qua fides sit Apollonii Rhodii Scholiastæ fuerit *Pindarus* ille Lyricorum Princeps, ad hæc enim l. 1. Argonaut. Ἡ δ᾽ ἄρ ὑπὲρ ξανθοῖο καρήατος αἰσσ-ονίδαο Πωτᾶτ᾽ ἀλκυονίς &c. ait: τὸ γὰρ ὄρνεον θαλάσσιον καὶ ἐν τοῖς αἰγιαλοῖς βιοῖ. &c. *Avis enim est marina & quæ in littoribus degit: quin & Jupiter dicitur ut in littoribus pullitiem ea avis deponeret quindecim, sive ut aliis placet, quatuordecim ordine dies tranquillos effecisse, qui dies alcyonii appellantur, septem nimirum ante & septem post partum: quæ porrò de Alcyonibus habet à Pindaro in Paanibus accepit:*

Non nos fugit tamen *Simonidem* Pindaro paulò antiquiorem esse, cujus testimonium affert Aristoteles l. v. Hist. Animal. c. 8. in his: καθὰ καὶ Σιμωνίδης ἐποίησεν &c. *prout etiam carmine scripsit Simonides, velut cùm Jupiter hyberno mense, quatuordecim dies castigarit: quam tempestatem ventorum ignaram, almam versicoloris Alcyonis nutricem vocant mortales.* Sed vereor ne *Aristoteles* καθ᾽ ἁμάρτημα μνημονικὸν id Simonidi tribuerit quod Pindari sit proprium: cùm præsertim *Eustathius* Homeri Rhapſ. 1. dicat ἔτι ἱστέον &c. *Sciendum est Pausaniam in suo Lexico dicere, dies alcyonios, illos esse qui hyeme ventis carent, & tranquilli sunt, ac de illorum numero dissentiri, siquidem Simonides illos quinque esse dicit ut Aristoteles, Demagoras verò Samius septem, & Philochorus novem, quatuordecim*

*porrò*

*porro esse, sunt alii qui dicant.* Si verum sit igitur Simonidem ex Pausaniæ testimonio, dies tantùm quinque alcyonios agnovisse, id quod ex eo adducit Aristoteles falsum erit, vel illius, aut Pausaniæ & Eustathii corrupti erunt codices, verùm de his aliàs.

Pindarum sequitur ipse Aristoteles, qui Histor. Anim. l. IX .c. 14. ita Alcyonem describit Ἡ δ' ἀλκύων ἐστι μὲν οὐ πολλῷ μείζον στρουθοῦ. &c. quæ *Cœlius Calcagninus* ita expressit; *alcyonem esse dicam haud multò passere ampliorem, colore tum cæruleo, tum viridi, tum etiam leniter purpureo insignem, eóque non pariliter ita distincto, sed ex indiscreto variè toto corpore & alis & collo refulgentem, rostro subviridi & longo & gracili.* Aristoteli *Plinium* & *Plutarchum* subnectemus, quorum ille quicquid de ave habet ex Aristotele hausit, hic in sola fere Alcyonis nidi structura describenda occupatur.

Cæteri omnes, sive *Ælianum*, sive *Lucianum* dicas, sive *Basilium*, sive *Ambrosium* sua etiam de Alcyone Stagiritæ Philosopho accepta referre debent, sanè nihil effatu dignum quod illi indictum sit attulerunt. Euripidem, Aristophanem cæterósque antiquiores Poëtas, qui obiter tantùm harum avium meminerunt sponte prætereo.

Solus itaque Aristoteles accuratè Alcyonem descripsit, verùm sui dissimilis loco supra laudato indiscretos ac mixtos inter se esse Alcyonis colores dixit, eorum immemor quæ l. VIII. c. 3. dixerat, quæ ita habent: καὶ τὸ τῶν ἀλκυόνων δὲ γένος

πα-

παρυδρόν ἐστιν, &c. *Et alcyonum etiam genus juxta aquas degit, earúmque duæ sunt species, & altera quidem vocalis & arundinetis insidens, altera muta quæ & major est, utraque porro dorsum habet cæruleum.* Ex quibus verisimile fit, ex fide aliena has aves, quas ipse nunquam oculis usurpaverit, eum describere, & sanè ut aliquatenus errorem deprecetur l. v. c. 9 ait πάντων δὲ σπανιώτατον ἰδεῖν ἀλκυόνας ἐστὶ &c *rarissimum est videri Alcyonas* &c. quæ ita *Plinius* l. 13. c. 32. liberè pro more reddidit: *Alcyonem videre rarissimum est, nec nisi Vergiliarum occasu, & circa solstitia, brumámve, nave aliquando circumvolatâ statim in latebras abeuntem.*

Si porrò incerta admodum de Alcedine prodidit, unà cum antiquis ferè omnibus, Aristoteles, non multò utique certiora afferunt recentiores Ornithologi, Gesnerus nempe, Bellonius, Turnerus, Agricola, Eberus, Peucerus, Encelius, Gelenius, Aldrovandus, Jonstonus, & si qui alii, omnes siquidem meris conjecturis nituntur dum alii quam Ispida nonnulli appellant, pro Alcyone accipi posse putant, alii avem glacialem, alii Anatis marinæ speciem quandam, alii Hirundinem marinam, alii avem Vanello similem, alii Piscatorem apodē, alii aliam avem esse dicunt, alii in præruptis maris scopulis, alii in arena, alii in stagnis, alii alibi nidulari asserunt. Quod præterea de alcedoniis, seu alcyoniis diebus affertur non est uniusmodi sed dissonum, plerique enim dum ovis incubat Alcyon summam malaciam esse, alii contrà unà

cum

cum pullis & nido fluctibus obrui & procellis raptari volunt, ut inter alios Isacius Tzetzes in Lycophronem ait enim εἴωθε κλύδων τοὺς τῶν ἀλκυόνων νεοσσοὺς διαφθείρειν *solet fluctus alcyonum pullos corrumpere*; cum quo paria facit Valer. Flac. l. 4.

*Fluctus ab undisoni seu fortè crepidine saxi,*
*Cùm rapit Alcyonis miseræ fœtúmque larémque.*
*It super ægra parens, queritúrque tumentibus undis,*
*Certa sequi quocunque ferant, audétque, pavétque.*
*Icta fatiscit aquis donec domus, haustaque fluctu est,*
*Illa dolens vocem dedit & se sustulit alis.*

Denique nec de numero alcedoniorum, ut ex supra allatis claruit, nec de tempore illorum satis inter illos convenit, aliis occidentibus Vergiliis, aliis ipsâ brumâ, aliis mediâ hyeme, aliis quos inter est *Columella* l. XI. c. 2. VIII. Kalend. Martii alcyonios dies statuentibus. Non tamen imus inficias circa brumam non rarò tranquillum per aliquot dies esse mare; verùm non propter Alcyonum fœturam, sed quòd ut nonnullis placet, nullæ plerunque circa solstitia mutationes aëris fiant: quia omnia cùm ad summum pervenerunt, languidiora sunt & quadantenus cessant: vel quòd duo sint præcipui ventorum mutationis modi, vel dum vigent, vel dum flare desinunt, quam causam agnoscens Aristoteles, quare interdum dies alcyonii tranquilli sint loco proxime adducto aperit dum ait: γίνονται δὲ εὐδιειναὶ ὅταν σύμβῃ νοτίους γίνεσθαι τὰς ἐπάς,

ἔσπας, τῆς πλειάδος βορείας γενομένης, *Sunt autem tranquilli dies alcyonii ubi post vergilias aquilonias, solstitium australe esse contigerit*: à quibus non abludunt quæ dicit Plinius: *Circa brumam plerisque bis septem alcyonum fœturâ ventorum quiete mollius cœlum: sed & in his, & in aliis omnibus ex eventu significationum intelligi sydera debebunt, non ad dies utique præfinitos, expectari tempestatum vadimonia.* Ut igitur pausam tandem faciamus, τὴν λῆρον καὶ μυθικὴν τοῦ κήυκος ἱστορίαν, καὶ τῶν ἀλκυόνων ἐάσωμεν: hicque cursum orationis nostræ sustineamus.

---

# QUÆSTIO VI.

## *De REMORA Pisce.*

Cum in *Sozomeni* Historiæ Ecclesiasticæ præfatione, legissem Severum Imperatorem, in singulos versus κυνηγετικῶν, ἁλιευτικῶν & ἰξευτικῶν aureum nummum *Oppiano* dedisse, indéque summam viginti millium aureorum emersisse, ac ea de causâ ejus carmina vulgò aurea appellata fuisse, statim incessit me cupido, illius Poëtæ, doctissimis etiam viris laudatissimi, opera evolvendi, cúmque aperto codice in *Echeneidis* sive *Remoræ* descriptionem forte incidissem, ubi mirandas hujus pisciculi vires deprædicat his verbis:

Νῆα πιαινομένην ἀνέμου ζαχρῆος ὁρμῇ &c.

Admiratione rei adeò incredibilis velut defixus,

Z tandem

tandem operæ pretium me facturum existimavi, si priùs an in rerum natura existeret ejusmodi piscis inquirerem, quàm de ejus vi & efficacia, ac causâ tam stupendi effectûs quæstionem instituerem. Si quid itaque V. Cl. ex multijuga lectione super hac re compertum habes, id mecum communices etiam atque etiam rogo & obtestor.

## RESPONSIO.

Quæstioni tuæ L. A. lubens satisfaciam, & licèt magnis se tueatur auctoribus Echeneidis historia, fabulis potiùs quàm historiis ascribendam esse, paucis evincere contendam: quod antequàm facio, Veterum aliquot auctoritates proferre necesse habeo.

Inter eos longè vetustissimum esse Aristotelem comperio qui hist. Anim. l. 2. c. 14. hæc tradit: ἔστι δὲ ἰχθύδιόν τι τῶν πετραίων, ὃ καλοῦσί τινες ἐχενηΐδα &c. *Pisciculus est quidam è saxatilium genere, quem nonnulli Echeneïdem vocant, eóque utuntur ad judicia seu lites & ad amatoria, non est autem edulis, hunc quidam pedes habere perhibent, cùm non habeat, sed tantùm habere videatur, quod pinnas similes pedibus habeat.* Aristotelem longo proximus intervallo sequetur Plinius, qui ejus verba vidisse dissimulare nequit, hæc siquidem ille. *Est parvus admodum piscis, assuetus petris, Echeneis appellatus: hoc carinis adhærente naves tardiùs ire creduntur, inde nomine imposito, quam ob causam amatoriis quoque veneficiis infamis est, & judiciorum ac litium morâ:*

pe-

pedes eum habere arbitratur Aristoteles, ita posità pinnarum multitudine; Quæ ultima verba falsò Aristoteli tribuuntur. Deinceps *Mutiani* ac *Trebii Nigri* eodem c. 25. l. IX. auctoritatem profert, quorum ille Echeneidem Muricem esse Purpurâ latiorem, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice conchâ utroque latere sese colligente: hic verò pedalem esse piscem crassitudine quinque digitorum asserit.

Plinio *Plutarchum* subjungemus hæc ille Sympos. l. 2. q. 7. χαιρεμονιανὸς ὁ τραλλιανὸς &c. *Charemonianus Trallianus cùm aliquando pisciculi omnis generis appositi essent, ostenso nobis uno pralongo, cui capitulum erat acutum, huic similem esse Echeneidem dicebat.* Hos sequetur *Ælianus* qui l. 2. de Animal. Propr. c. 17. ait: ἐχενηΐς πελάγιος ἰχθὺς τὴν νῆξιν, τὴν ὄψιν μέλας, τὸ μῆκος κατὰ τὴν μεμετρημένην ἔγχελυν, *Echeneis piscis est qui in alto natat, aspectu niger, longitudine ad mediocrem anguillam accedens.* Cum Æliano paria facit Oppianus tuus. Nec ab his abludit *Nonnus* Panop. Dionys. l. 21 in his:

> Ἔκλυες εἰναλίην ἐχενηΐδα, πῶς ἐνὶ πόντῳ
> ἰχθὺς βαιὸς, ἄναλκις ἐπέχραε πολλάκι ναύταις.

*Audivisti marinam Echeneidem, quomodo in alto, piscis exiguus & imbellis plerumque adoriri soleat nautas.* Ejusdem etiam sententiæ est Basilius Cæsar. Capp. Archiep. Orat. I. in *Hex.* Pisciculum etiam

ſemipedalem eſſe ſtatuit Iſidorus Hiſpalenſis Orig. l. 12. c. VI. His mantiſſæ loco Suidam addas licet, in voce ἐχενηΐς.

Et hactenus fermè omnes Veteres qui Echeneidis meminerunt, è quibus Ariſtoteles eúmque ſequutus Plinius piſciculum ſaxatilem Echeneidem eſſe dixerunt. Quamobrem ſubit mirari, quî fieri potuerit, ut maximi viri & naturalis hiſtoriæ peritiſſimi, crediderint Echeneidem ſeu Remoram piſcem eſſe è ſaxatilium genere, & tamen navium ὀνεχοδερομένων ἐν τῷ πελάγει curſum inhibere poſſe, quod à ſaxatilium naturâ planè abhorret, & ſanè ſuo ſibi telo ipſe Ariſtoteles jugulum petit cùm l. VIII. Hiſtor. Anim, c. XIII. ait: εἰσὶ δὲ πρόσγειοι &c. *Sunt autem terræ vicini dentex, cantharus, orphus, aurata, mugius, mullus, turdus, araneus, callienymus, gobius, & ſaxatilia omnia*, nam πρόσγειοι piſces iidem ſunt cùm τοῖς αἰγιαλώδεσι ſeu *littoralibus*, quos perpetuò opponit τοῖς πελαγίοις, iis qui in alto mari degunt. Hinc itaque χύτρεσι καὶ λημῶσι manifeſtum fieri puto Ariſtotelem & Plinium dum ab aliis accepta referunt, imprudentes fabulam narraſſe: quem ſcopulum ut vitarent cæteri πελάγιον piſcem. i. in alto mari degentem Remoram eſſe, aſſerere non dubitarunt, ut Ælianus qui πελάγιον τὴν νῆξιν hoc eſt in alto natare dixit, & Oppianus qui ab hoc hauſit, πελάγεσσιν ἑταίρην vocavit. Hos etiam ſequutus Nonnus remoram ἐνὶ πόντῳ ἐπιχρᾶν ναύταις refert, at πόντος idem eſt quod πέλαγος

γ@, ut observat Eustathius ad hunc Il. A. versum θῖν' ἐφ' ἁλὸς πελιῆς ὁρόων ἐπὶ οἴνοπα πόντον: ait enim oram marinam candidiorem semper esse Ponto, τῦ πόντ, qui est profundi pars maris. Sed ne pluribus opus habeamus, facit *Theognis* cùm ait:

----γέλασσε δὲ γαῖα πελώρη,
γήθησεν δὲ βαθὺς πόντος ἁλὸς πολιῆς.

*Risit verò immensa tellus, & gavisus est profundus pontus maris cani.* Nec aliter loquutus est *Basilius*, cùm dixit navem ab Echeneide inhibitam, esse ὥσπερ καταῤῥιζωθεῖσαν ἐν αὐτῷ τῷ πελάγει, *veluti radicatam in ipso pelago.*

Verùm enim verò licet recentiores hi de loco habitationis inter se consentiant, ab Aristotele tamen & Plinio, qui piscem admodum parvum esse volunt, in longitudine assignanda discrepant, ut à *Basilio* & *Suida*, ille enim σμικρότατον ἰχθύδιον *exiguum valde pisciculum* Remoram appellat, hic verò Gobii magnitudinem illi tribuit, at Gobii palmum magnitudine non excedunt, & plerique longè breviores sunt. Plutarchus verò prælongum piscem & acuto capite esse refert, in quo illi cum cæteris omnibus non convenit. *Trebius Niger* apud Plinium pedalem esse, & crassitudine quinque digitorum tradit. Isidorus cum eodem Plinio l. 32. c. 1. *semipedalem pisciculum* esse dicit. *Ælianus* mediocrem anguillam magnitudine æquare; at mediocris anguilla sesquicubito brevior esse non potest, ut de Gangis anguillis non loquamur,

mur, quæ triginta pedum longitudine esse perhibentur, & Strabonem mittamus, qui in quodam Libyæ amne septem cubitorum βδέλλας *i. hirudines* esse memorat, quibus nonnulli eum Remoras intellexisse sibi finxerunt. *Oppianus* videtur *Ælianum* exscripsisse, vel saltem ex eodem fonte hausisse, ille tamen Echeneidem cubitalem tantùm facit. Ut porrò intricatior adhuc sit hujus piscis historia, non veretur ipse Plinius ex aliorum relatione limaci magnæ similem esse dicere, quod ansam dedit Bellonio lepidè mentiendi & remoræ cornua, quibus tanquam cæca iter prætentat, affingendi.

Sed quid *Mutiano* & *Caßiodoro* faciamus, quorum alter Muricem è Conchyliorum genere, alter Indici maris concham esse vult? Denique ut hîc nobis aqua penitus hæreat efficit Plinius, qui ubi multa super hoc pisce attulit, tandem eò devenit ut omnes pisces eadem vi occultâ naves sistendi pollere existimet, ut ex his loci adducti videre est: *Nec dubitamus idem valere omnia genera, cum celebri & consecrato etiam exemplo apud Gnidiam Venerem conchas quoque ejusdem potentiæ credi necesse sit.* Unde factum ut *Rondeletus* admodum tamen anceps & dubius, in hanc postremam Plinii sententiam propendere videatur, etsi ante Lampetram pro Remora agnovisset, quod ridens *Brodæus* ait: Si Lampetra esset Echeneis, multi in Ligeri lintres cursum tenerent ab his retenti, quod quis vidit unquam, aut accepit?

Cùm

Cùm hæc igitur ita ſint diſſona & ſibi non conſtantia, quæ de hoc tam multiformi, támque ignoto piſce traduntur γραώδεσι μύθοις accenſere non verebor: idque eò magis quòd Luſitani, Hiſpani, Angli, Batavi, Galli frequentibus navigationibus toto fermè terrarum orbe perluſtrato, plurima admiratione digna, de hoc tamen piſce ne γρῦ quidem retulerint, ac præterea teſtes duos locupletes habeamus *Petrum* nempe *Gillium* variis peregrinationibus & doctrina clarum, ac *Lilium Gregorium Gyraldum*, qui cùm diligentiſſimè de hoc piſcis monſtro, ſeu veriùs nugamento, inquiſiverint, nihil unquam certi afferre quiti ſunt. Hic quidem L. de Navigiis c. v. hæc habet: *Qui tamen ad hanc diem, Echeneida, vel Concham hanc viderint, neminem comperi, vel nautam, vel piſcatorem.* Ille vero L. de Piſcibus: *Echeneidem non vidi, neque ex quantumlibet infinitis percuntatus ſim, quemquam piſcatorem reperire potui, qui hunc ipſum hac ætate viderit.* Si quis tamen cum pluribus errare, quàm cum paucis bene ſentire maluerit οὐ φρόντις ἱπποκλείδῃ, nam ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ, κοὐ ποικίλων δεῖ τἄνδιχ᾽ ἑρμηνευμάτων *Simplex & infucata veri oratio eſt, nil indiget res æqua verborum ambitu.*

*De Piſce quodam cui Remora nomen indiderunt Galli. Vid. Anti-inſularum Americæ Gallicam Hiſt. p.* 177.

## QUÆSTIO VII.

*An fuerint Pygmæi?*

DUm Homerum lego, ſemper quidem ejus τερατολογίας falſas aut ſaltem ſuſpectas habeo, aliquando tamen animum ſubit aliquid poſſe latere veri. Et nuper quidem ſubdubitavi an id prorſus eſſet falſum quod mihi de Pygmæis occurrebat, quos Poëta dicit perpetuo à gruibus bello vexari: Iliad. Γ. v. 5.

Κλαγγῇ ταίγε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων
Ἀνδράσι Πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι,
*Oceani clangore dato petiere fluenta,*
*Pygmæiſque viris cædem mortémque tulerunt.*

Rogo te, per humanitatem tuam, V. C. ut ſcrupulum hunc animo mihi eximas, & doceas an merum hoc ſit figmentum Poëticum, an verò aliquâ nitatur Hiſtoriæ veritate.

## RESPONSIO.

Etſi nunc quidem temporis L. A. tuæ Quæſtioni, quæ vel juſti voluminis argumentum complectitur, plenè ſatisfacere non poſſim, repulſam tamen te pati omnium minimè velim, eò præſertim quòd multos non infimi inter doctos ſubſellii, hac ipſa de re dubitaſſe compertum habeam.

Hoc

Hoc contigit dubio procul ob τὸ τῆς ἱστορίας ἀλλόκοτον, & discrepantes inter se auctorum sententias, dum alii in media India, alii in extremis ejus finibus supra Gangem, alii in Æthiopia ad Nili fontes, alii in Scythia, seu Thracia, alii denique in ipsis fermè orbis cardinibus illos collocant, alii pedis unius, alii sesquipedis alii trium pedum longitudine, alii paulò proceriores fingunt, alii adversus grues tantùm, alii adversus grues simul & perdices, eos pugnare tradunt, alii arietum, caprarumque dorsis, insidentes, alii perdicibus ad currum junctis vectos, in aciem procedere narrant.

Quod ne ipsi vigilantes somniasse videamur, auctorum locos proferre, quantum quidem per iniqua temporis spatia dabitur, operæ pretium fuerit. Antiquissimus omnium post Homerum qui de Pygmæis aliquid tradidit fuit *Hecatæus*, quem ad locum à te adductum laudat Eustatius dum ait: *ἱστορεῖται δὲ καὶ ὅτι κέρατα περιτίθενται καὶ ἐν σχήματι κελῶν ὡς Ἑκαταῖός φησι κρόταλα ψοφοῦσι καὶ οὕτω τοὺς πυγμαιομάχους γεράνους ἀμύνονται καταφρονούσας ἄλλως τοῦ μήκους*, *Refertur etiam Pygmæos sibi cornua aptare, arietúmque forma ut ait Hecatæus crepitaculis sonitum edere, & hac ratione sibi infensas grues, quæ alioqui eorum staturam contemnunt propulsare.* Huic ætate suppar est *Ctesias Cnidius*, cujus Indicæ historiæ fragmenta apud *Photium* leguntur, & hoc inter cætera ἐν μέσῃ τῇ ἰνδικῇ ἄνθρωποι εἰσὶ μέλανες, &c. *In media India*

*sunt homines nigri, qui vocantur Pygmæi, eodem cum cæteris Indis idiomate, pusilli admodum, adeò ut eorum celsissimi duorum sint cubitorum, plerique verò sesquicubitales, comam genuum tenus, & adhuc infra promissam, omniúmque hominum prolixissimam barbam habent.* Hos sequentur *Megasthenes* & *Daïmachus*, quorum ille ad *Androcottum* Indiæ regem, hic ad filium ejus *Allitrochadem* legatione functus est, adque ideò uterque de rebus Indicis scripsit, & miranda quidem, sed non perinde credenda narravit: de his enim loquutus Strab. l. 2. infert: ὅτοι γδ εἰσιν οἱ τὺς ἐνωτοκοίτας, &c. *Hi enim sunt qui in auribus cubantes, ore & naribus carentes, unoculos, longipedes, digitis retro aversis præditos referunt: immutarunt etiam Homericam Pygmæorum pugnam, trium dodrantium illis longitudinem tribuentes.* His *Philostratos* succenturiabimus qui de Pygmæis etiam aliquid anceps admodum atque dubium, ut ex eorum verbis patebit, literis consignarunt; & Apollonii quidem Tyanei vitæ auctor, quisquis tandem cuiatisque sit ille, l. VI. c. 1. Æthiopiam & Indiam obiter describens ait: βόσκουσι δὲ καὶ θηρία, οἷα οὐχ ἑτέρωθι καὶ ἀνθρώπους μέλανας, ὃ μὴ ἄλλαι ἤπειροι, πυγμαίων τε ἐν αὐτοῖς ἔθνη, *alunt etiam beluas quas nusquam alibi reperias, homineśque nigros, quos in aliis continentibus frustrà requisiveris, suntque inter illos Pygmæorum gentes.* Idem l. 3. Jarcham Brachmanorum Principem Pygmæos inter Indiæ populos agnoscentem introducit, in his: τοὺς δὲ πυγμαίους, οἰκεῖν μὲν ὑπογείους, κεῖσθαι

δὲ

δὲ ὑπὲρ τὴν γάγγην, ζῶντας τρόπον ὃς πᾶσιν εἴρηται *Pygmæos autem dicebat, sub terra quidem degere, eodemque modo qui ab omnibus descriptus est viventes, supra Gangem sitos esse.* Idem denique l. VI. c. XII. ait, νασαμῶνες δὲ καὶ ἀνδροφάγοι, καὶ πυγμαῖοι, &c. *Nasamones autem & Androphagi, & Pygmæi, & Sciapodes, hi inquam omnes sunt Æthiopiæ gentes, & ad Oceanum Æthiopicum protenduntur.* Alter verò Icon. l. 2. ἐν λιβύῃ καθεύδοντι ἡρακλεῖ μετὰ τὸν Ανταῖον, ἐπιτίθενται οἱ πυγμαῖοι, &c. *In Libya dormientem Herculem post devictum Antæum aggrediuntur Pygmæi injuriam ei illatam se ultum ire dicentes, quippe qui fratres Antæi sint, & generosi quidem, verum nequaquam Athletæ, nec pares viribus, sed terrigenæ & fortes, illis porrò è terra adscendentibus, sensim fluctuat & concitatur arena, Pygmæi enim non secus ac formicæ terram habitant.* Et hi ferè sunt, si *Aristotelem, Strabonem & Eustathium* excipias, inter eos qui aliquid de Pygmæis scripserunt celeberrimi.

Inter Latinos *Pomponius Mela, Plinius, Aulus Gellius, Solinus* aliique nonnulli aliquid etiam de illis prodiderunt, verùm qualecunque illud sit, totum Græcis auctoribus quos exscripserunt, acceptum referre debent. Mela illos in intima sinûs Arabici parte collocat; *fuere*, inquit, *interiùs Pygmæi minutum genus, & quod pro satis frugibus contra grues dimicando defecit.* Plinius l. VII. c. 2. Astomos quosdam ad extremos Indiæ fines sitos esse referens, subjungit; *supra hos extrema in parte montium*

*tium Spithamæi Pygmæi narrantur, ternas Spithamas longitudine, hoc est ternos dodrantes non excedentes, salubri cælo, sempérque vernante, montibus ab aquilone oppositis: quos à gruibus infestari Homerus quoque prodidit. Fama est insidentes arietum caprarúmque dorsis, armatos sagittis, veris tempore, universo agmine, ad mare descendere, & ova pullósque earum alitum consumere: ternis expeditionem eam mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti, casas eorum luto pennisque & ovorum putaminibus construi.* Et Lib. 4. c. 11. eos inter Scythas & Thraciæ gentes enumerat: Lib. verò VI. c. 30 ante Nili paludes eos sedes habuisse, retulisse quosdam asserit.

Quid igitur tam discordibus sententiis agas? nempe auctorum fides perpendenda, & primò quod *Hecatæum* attinet, de eo *Diodori Siculi* auctoris gravissimi audiendum est testimonium, quod ita habet l. I. *οἱ μὲν γὰρ περὶ τὸν Ἑλλάνικον, καὶ Κάδμον ἔτι δὲ Ἑκαταῖον*, &c. *nam Hellanicus & Cadmus, Hecatæus quoque, & id genus prisci omnes, ad fabulosas assertiones declinarunt.* Neque si Aristotelis & Plutarchi auctoritate standum sit, *Ctesiæ* fides meliùs ambulat, ille enim l. VIII. Hist. Animal. *Ctesiæ* allato testimonio ait: *ὡς φησι Κτησίας οὐκ ὢν ἀξιόπιστος ut ait Ctesias qui non est fide dignus*: hic verò in Artaxerxe non uno loco eum vanitatis arguit, & dicit *λόγον αὐτοῦ πρὸς τὸ μυθῶδες καὶ δραματικὸν ἐκτρέπεσθαι τῆς ἀληθείας, sermonem ejus à veritate ad fabulosa & dramatica deflectere.* Sed utramque hac in re paginam facit Strabo

bo, qui uno velut ictu omnes Indicæ historiæ scriptores ingulat, hæc ille l. 2. ἅπαντες μὲν τοίνυν οἱ περὶ τῆς ἰνδικῆς γράψαντες, &c. *Omnes utique qui de India scripserunt, pleraque mentiti sunt, ac præ reliquis Daïmachus, postque hunc proximè Megasthenes.* De *Philostratis* non aliud dicere habemus, quàm utrumque fabulatorem esse manifestarium, ut tum ex Apollonii vita, tum ex Heroicis & Iconibus perspicuum fit. Quod denique *Melam* & *Plinium* attinet, ut & cæteros quosvis, illi, ut diximus, à Græcis accepta & Megasthene imprimis, aliisque ejusdem farinæ, de veritate interim rerum securi, bonâ fide referunt.

De ejusmodi itaque sive Græcorum, sive Latinorum narrationibus idem dicere possumus quod *Xenophanes Colophonius* apud *Athenæum* πὰρ πυρὶ χρὴ τοιαῦτα λέγειν, χειμῶνος ἐν ὥρᾳ, nimirum hæc puerulis à nutricibus propter ignem assidentibus hyberno tempore, narranda esse.

Verùm quo minus hoc ἁπλῶς pronunciare possimus obstat Aristoteles testis omni exceptione majoris auctoritas, qui libr. VIII Histor. Anim. c. 12. ait αἱ γέρανοι μεταβάλλουσι &c. *Grues ex Scythia migrant ad paludes Ægypto superiores unde Nilus manat, hicque ille locus est, in quo Pygmæi habitant, neque enim hoc est fabula, sed verè est ut dicitur, genus tum hominum tum equorum pusillum suntque vivendi instituto Troglodytæ.* Hic sanè locus primâ fronte suffragari videtur eorum sententiæ, qui Pygmæorum gentem esse prodiderunt, frustra tamen

men ſunt qui hoc credunt, hi quippe de quibus agit Philoſophus ſunt Æthiopes illi, qui à Dionyſio Afro vocantur ἐρεμβοὶ à cęteris τρωγλοδύται, qui fortè quod puſillâ eſſent staturâ à nonnullis ad fabulam alludentibus Pygmæi καθ' ὑπερβολὴν appellati ſunt, & eo quòd grues quotannis è locis frigidioribus ad illas Æthiopiæ paludes migrent quas Troglodytæ accolunt, eos cum gruibus pugnare fabulati ſunt.

Si cui autem de Pygmæis credendum ſit, *Strabo* Geographus doctiſſimus & diligentiſſimus, quodque caput eſt rei, qui magnam partem locorum quæ deſcribit, oculis ipſe luſtravit, imprimis fidem meretur, ejus itaque ſententia hanc quæſtionem dirimet eique Colophonem imponet, hæc ille l. 17. ὡς δὲ εἰπεῖν καὶ τὰ ἄκρα τῆς οἰκουμένης &c. *Ut autem ita dicam extremæ orbis habitabilis partes, quæ intemperatæ & inhabitabili regioni adjacent, propter æſtum vel frigus, errores quoſdam ac defectus temperatæ eſſe neceſſe eſt, quod ex vivendi modo, & earum rerum inopia quæ ad humanum uſum pertinent perſpicuum eſt, magna enim ex parte nudi incedunt & paſtoralem ac vagam duramque vitam agunt, eorum pecudes ſunt oves, & capræ parvæ, & boves ac canes parvi, ſed aſperi & pugnaces, ipſique incolæ ſunt minuti, & fortè ob puſillam horum ſtaturam, quidam Pygmæos excogitarunt & finxerunt, nemo enim fide dignus eos ſe vidiſſe refert.*

Vides Geographum qui diligenter Ariſtotelem evolvit, ut ex ejus ſcriptis non uno loco videre eſt, nihil-

nihilominus asserere, neminem fide dignum se Pygmæos vidisse, referre, quod procul dubio non dixisset, si Philosophum loco laudato de Pygmæorum potiùs quàm de Troglodytarum Gente loquutum fuisse credidisset.

Cæterùm non me etiam fugit *Gammadim* apud Ezechiel. c. 27. nonnullos Pygmæos exposuisse, verùm ne actum agere necesse habeamus, jam olim à doctis eorum sententia est explosa. Non moror etiam *Helmontii* ψεῦσμα φοινικικὸν qui in insulis fortunatis hodie etiamnum, cadavera pellucida, ferè trium pedum longitudine reperiri ait, quæ Pygmæorum reliquias esse arbitratur, quis enim credat insepulta cadavera tot sæcula ferre potuisse, defecerant siquidem Pygmæi, siqui unquam fuerint, ut ex supra allatis patuit, Strabonis & Melæ ætate, quorum alter Tiberio, alter Claudio imperante vixit. Præterea mirum omnino est œnopolam illum & mercatores etiam turpilucricupidos qui illud credulo & cerrito, ut videtur, *Helmontio* retulerunt, rem adeò stupendam & quæ quàm plurimo venire potuisset ita sprevisse ut secum non veherent, cùm præsertim ejusmodi *Tudesquillos* ut illi vocant, ibi pueri quoties volunt domum reportent: apage ergo nugas nugerrimas. Quod si verè reperiantur ejusmodi cadavera id κακοδαίμονος γοητείας adscribendum censeo: sunt enim in metallorum fodinis ut refert Georgius Agricola Dæmones quidam quos *Cobalos*, & *virunculos montanos*

# INDEX
## Rerum & Verborum.

A





*Annus*

## E



## F

## G



## H

I



K

## L



## M

## Q



## R

## S



## T



Τόμος

## V

## Z



FINIS.

